

GUIDONIS FABE SUMMA DICTAMINIS

*Incipit summa dictaminis magistri Guidonis Fabe
Bononiensis (R).*

Quasi modo geniti infantes lac concupiscentie rationabile sine dolo cum exultatione suscipe, hominis utriusque dona (1) gratissima dulcedinis affectate, que de celesti gaçoflatio manu benivola nobis contulit rex magnificus et eternus, eadem in aureo candelabro sua pietate constituens ut lucerent singulis et proficerent universis Sed cur per nubes incendimus? Iam omnia sint aperta: ecce novella surrexit gratia, abicie procul vetustatis errores, ut viri doctissimi sollicite precaventes ne ignorantie vel cecitatis fermento massa vestre prudentie corruptatur. Advenite nunc omnes (2) ad viridarium magistri Guidonis, qui dona sophie cupitis invenire, ubi dulces avium cantus resonant et suaviter murmurant a fontibus rivuli descendentes, flores similiter apparent vernantes et lilia venustatis, rose quoque speciose consurgunt, et cynamomum et balsamum ac viole non desinunt redolere (3); ibidem etiam pratum ridet amenum, et arbores cuncti generis sunt inserte, que ventorum impetum introire non sinunt ne solatia turbarentur, sed suis frondibus auram levem immittunt et umbram pre-

(1) dicta R. O.

(2) letantes add. V.

(3) circa cynamomum et balsamum viole et cet. P.

bent gratitudinis et quietis. In hoc siquidem tante felicitatis loco sunt dictamina purpurata, colores reperiuntur rhetorici, et iuxta platanum ad fluentia aquarum sedet sapientia Salomonis, per quam viri scolastici decorantur et clarescit machina mundialis. Et licet nichil in humanis inventionibus sit perfectum, hic tamen quantum ad eloquium dictatorie facultatis vitia que sunt fugienda plenius edocentur et patent que servari debeant documenta, sine quibus errant qui ambulant et non vident qui talia non observant. Ne igitur prestolatio tam desiderabilis fructus longius fatiget mentes avidas sociorum, apertis thesauris offero munera pretiosa que sui magis utilitate reluent quam reniteant exteriori decore; quibus mediantibus tenebris relegatis, ianua dictaminum sit pulsantibus aperta, ita quod in regali mensa omnes qui mecum fuerint discubentes, tamquam superne rationis satietate repleti, nec recedant famelici, nec umquam appareant sitibundi.

I.

De vitiis evitandis et virtutibus inserendis (1).

Quia scire malum non est malum, sed peccatum est potius operari; cum huius rei peritiam habere debeat unusquisque, ut que sint nocitura, docente notitia, fugiat, quod aliter numquam posset, et faciat, inspirante Domino, que sint iusta; ad modum serentis qui terram spinis ac tribulis purgat ut fructus mundus appareat et sincerus, ad similitudinem illius qui studiose vas lavat, ut electa sorde antiqui vitii ad novi saporis dulcedinem preparetur; iterum (2) eo perspecto quod virtutes plantari non valent, nisi ea que sunt contraria extirpentur (3); priori facie vitiis extirpati de regulis subsequenter tractemus prosaici dictaminis et doctrina.

(1) *De vitiis extirpandis et virtutibus informandis P.*

(2) iterumque *P.*

(3) *Codd.* expientur, excipientur et similia.

II.

De vizio vitando in principio dictionis.

In primis quidem breviter est sciendum, quod illud dictamen vitiosum dicitur verborum positione, cum in principio plures dictiones ponuntur ab eadem littera incohantes, ut « Sosias in solario soleas sartiebat suas »; et illud « O Tite Tati tibi tanta tyranne tulisti? ».

III.

De vitiis in fine dictionis vitandis.

Nota insuper o lector, quisquis es, qui ornate vis loqui, quod illud tamquam vitium est in epistolari dictamine cautius evitandum, ut plures dictiones vel distinctiones in eadem sillaba terminentur. Exemplum de dictionibus: « dictasti, scriptisti, fecisti quod voluisti ». Exemplum de eadem terminatione distinctionum: « Omnes in Domino gaudeatis, et non amplius in vanitatibus seculi confidatis ut, de miseria ubi habitatis ad celestem gloriam veniatis ».

IV.

De accentu inhibito.

Item scias, amice, quicumque desideras habere dulcedinem rethorice venustatis, quod in nostro dictamine rythmica est vitanda species, ut si dicam. « Cum revolvo moriturus, quid post mortem sum facturus, terret me terror venturus, quem exspecto non securus ». Si autem accentus rythmicus integer defuerit, et consona dictionum coniunctura (1), ne respuas prosaice tale dictum, quod est multipliciter commendandum. Exemplum: « Sapientia merito cunctis rebus preponitur, quia per eam opes et nobilitas assignantur ».

(1) iunctura *P.*

V.

De eisdem consonantibus sibi concurrentibus (1) removendis.

Generaliter autem urbanitatis causa teneas pro doctrina, quod ad cautelam specifico de quibusdam: quia si dictio in *r* desinit, sequens non incipiatur ab eadem ut « error Romanorum »; in *m*, ut « magnum malum »; in *x*, ut « rex Xerxes »; in *n*, ut « lumen novum »; in *s*, ut « bonus sonus », et sic de ceteris. Nam ex his vitium generatur, quod *cagephaton* potest, seu *turpis sonoritas*, vel *asperitas* appellari. Et dicitur *cagephaton* a *cacos*, quod est turpe, et *phonos*, quod est sonus, unde *cagephaton*, idest *turpis sonus*.

VI.

De vocalium concursione vitanda.

Preterea de vocalibus teneas incunctanter quod vitiosum est nimis, si una dictio desinit in vocalem unam vel plures, quod sequens dictio incipiatur a vocali una vel pluribus. Exemplum de una, ut « diligo animam tuam ». Exemplum de pluribus, ut « Dominus illuminatio mea et salus mea, etc. »; et specialiter, quod est deterius, ab eadem, ut « lauda, anima mea, Dominum »; et idem in similibus. Hec de consilio procedunt, sed necessitatem non inducunt. Quod si punctus planus interveniat, stare potest, ut in hoc exemplo: « personam tuam diligo omni tempore, sicut possum ». Iterum ubi cadat punctus medius, verbi gratia cum dico « ignoscat Deus malitie nostre, et nobis pie conferat sue gratie largitatem ». Sic ergo labora, si vis dictamen habere politum, ut dictio si finiat in vocalem, a consonante sequens assumat principium, et si terminetur in consonantem, alia sumat initium a vocali; nam propter hoc magis currit dictamen, et hiatus ac turpis sonoritatis vitium removetur. Exemplum: « Vere diligenda sunt illa que corpori proficiunt, et anime non obsistunt ».

(1) *Al. occurrentibus.*

VII.

De vitio iterate dictionis.

Nulla dictio semel posita sepius iteretur, nisi sit de natura sermonis, et causa necessitatis evidens hoc requirat, ut in hoc exemplo: « Petrus et Martinus multa crimina commiserunt; propter quod Martinus suspendio traditur, et Petrus in insulam deportatur ». Nam fastidium generat dictio multotiens repetita (1), ut ibi: « cuius rationis ratio non extat, ei rationi ratio non est fidem adhibere ».

VIII.

De quinque principalibus vitiis evitandis.

In summa nota et collige (2) de predictis, quod in dictamine ista quinque vitia precipue sunt vitanda. Primum est *collisio*, idest stridens et rixosa contentio sillabarum; ut « belli ferratos postes portasque refregit ». Secundum est *frenum*, scilicet quando aliqua dictio desinit in *r*, et sequens incipit ab *r*, ut « error Romuli ». Tertium est *hiatus*, qui provenit ex frequenti vocalium concursione, ut in eo: « Ovius ovio ovanti animo eius ». Quartum est *metacismus*, scilicet quando aliqua dictio desinit in *m*, et sequens incipit a vocali, ut « bonorum hominum auctoritatem amo ». Quintum est *laudacismus*, scilicet quando aliqua dictio desinit in *l*, et sequens dictio incipit ab *l*, ut « sol lucet ».

IX.

De vitiis sententie.

Quatuor equidem modis committitur vitium in sententia: primo, quando partes epistole sibi non respondent. Exemplum:

(1) iterata *O. P. V.*

(2) nostra intellige *P.*

« Sacerdotalis dignitas est aliis preferenda, quia temporalia spiritualibus non equantur. Notifico itaque dilectioni vestre quod rectores scolarium Bononiam sunt reversi. Quapropter vos rogo ut me reddatis de vestra continentia certiorem ». Secundo cum dictatio, materia dimissa, volat et per ambages vagatur. Exemplum: « Tue dilectioni duxi litteris presentibus consulendum, ut in tali vico domum edificare debeas honorabilem et decoram. Nam dilexit Dominus sue domus decorem, et dicitur, sicut nosti, *Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moisi unum, et Elie unum* ». Tertio quando pro nimia brevitate confusionem et obscuritatem incurrimus. Exemplum. « Rogo te de factis meis, quia mea tua sunt, et de continentia nescio, et pro negotio Martini sic facias in omnibus prospere ». Quarto committitur vitium in sententia quando, mutato mediocri stilo, humilem materiam in sublimem, vel altam in mediocrem aut humilem variamus, quod maxime vitiosum dignoscitur. Non enim verborum ornatus debet in tantum servari quod sententie gravitas ommittatur, quia non bene stabit vocum edificium, quod non roborabit sententie fundamentum. Exemplum: « Celestis altitudo consilii mundo pereundi consuluit, cum per incarnati verbi mysterium a nexibus diaboli hominem liberavit. Inde est quod ipsius amore vos rogo, ut mei semper memoriam habeatis ». Ecce quomodo stilus fuit in prima parte turgidus et inflatus, in secunda cecidit in aridum et exanguem.

X.

De vitiosis exordiis.

Vitiosum preterea quinque modis censetur exordium. Primo, si difficilis sermo fuerit et verba inusitata: exemplum « *Fructus centesimus tunc serenti tribuitur, cum quis ad penitentiam per elemosinam revocatur*. Inde est, quod illa que pauperibus erogasti tibi putes celesti tabernaculo preparata ». Secundo vitiosum est exordium illud, quod ex verbis constat nimium apparatis: exemplum « *Mulier speciosa diligitur, que*

urbanitatis et facundie gloria decoratur ». Tertio vitiosum est exordium, quod non coheret narrationi, nec oriri vel procedere videtur a causa: exemplum « Celestis pietas duas in seculo constituit potestates, ut earum moderamine et mutuo suffragio singula gubernentur. Notifico itaque tibi, quod per Dei gratiam a Romana curia sanus et incolmis sum reversus ». Quarto exordium non caret vitio quod nec benivolum, docilem vel attentum reddit animum auditoris: exemplum « Qui naufragia pertulit, multa incommoda tolleravit ». Quinto vitiosum est exordium, quod in plures casus potest accommodari: exemplum « Cum homo bonum exequitur, Deus veraciter honoratur ». Hoc potest dicere quilibet pietatis opera faciendo, et hoc idem sibi aptare poterint commode rectores provinciarum cum iugulant homines et pena debita feriunt delinquentes (1).

XI.

De vitio narrationis.

Narratio prolixa nimis dicitur vitiosa, ut si a gemino sumatur ovo initium: verbi gratia ecce aliquis scolaris diffuse narrat per singula qualiter in via fuit ei veniendo Bononiam (2), quomodo magistrum elegit, hospitium quesivit, in mane tempestive surgit, in nocte vigilat, ad scolas vadit, cum sociis moratur et proficit sicut potest. Non debuit tanta fundere: sufficisset enim dixisse: « Noscatis quod, post felices » vel « infelices eventus viarum, cum honesta societate Bononie Dei gratia atque vestra, sanus et incolmis in studio laudabiliter persevero ». Item narratio dicitur vitiosa, si sit confusa; quod accidit cum ordo rei geste ommittitur: exemplum « Sciatis quod filius olim domini Andalotis in tali castro habet filiam domini Hugo-lini ». Hic confuse narravit, ordinem rei geste dimisit, et ideo vitiosum dixit. Debuisse enim dicere: « Noveritis quod Petrus filius olim domini Andalotis, in sero post cenam cum

(1) transgressores *P.* *V.* transgressores delinquentes *O.*

(2) Romam *V.*

armatis multis accedens ad domum domini Ugolini, sibi filiam suam abstulit violenter, et nocturno silentio per civitatem deducens eamdem, ipsam in tali castro detinet tamquam suam ». Item narratio dicitur vitiosa que, non sit probabilis nec vera nec veri similis, ut si dicam de homine mortuo ultra mare: anno preterito: « Sciatis quod tales hominem externa die vidi Bononie, qui de vestra continentia me quesivit ». Item narratio vitiosa dicitur, que non explicat locum vel temporis qualitatem; ut si dicam « Noveritis quod Petrus interfecit Martinum ». Debes enim dicere loco tali, et tempore.

XII.

De vitio petitionis.

Iudicatur autem finaliter petitio vitiosa, que in se nec iustum continet, utile, necessarium vel honestum, ut si petas quod papalis dignitas imperiali celsitudini supponatur: hoc non est iustum, quia non debet Dci vicarius temporali domino, sicut nec anima corpori, subiacere. Utile non esset, immo dampnosum, quia propterea superbiret: necessarium non esset, cum multi sint qui velint et possint tantum officium exercere; honestum non esset, ut, contra dispositionem divinam secularis persona spirituali preesset, et ancilla domine premeret.

XIII.

De vitio dictaminis reprobando. (1)

Ad hoc comprehendiose notabis, memorialiter retinendo, quod dictamen illud in quo una dictio brevis et altera fortis et inusitata ponitur, vituperabile reputatur, ut si dicam: « Tibi presentibus affatibus interminor ne imperium intrare debeas ubi fur(2) non sinitur permanere ». Item nota quod illud

(1) De reprobando vitioso dictamine V. O.

(2) Codd. *plerique* frui.

dictamen vitiosum habetur quod in prima vel secunda prolatione non protest intelligi, si bene legatur pariter et distincte, ut patet ex precedenti exemplo. Item fugere debemus et ut vitium evitare longam verborum continuationem, que et auditoris aures et oratoris spiritum ledere consuevit. Item nota quod omnis defectus nimius (1) nec usualiter approbatus est vitiosus. Item amphibologicas orationes vitare debemus, que magnum prestant impedimentum, sicut Tullius in secundo Rethoricorum affirmat. Et est amphibologia ambiguitas dictionis vel orationis, ut « iste fuit natus ante patrem ». Generaliter autem nota quod verba dubia et figurativa, vel barbarismus et soloecismus et cetera sunt vitanda et a nostro dictamine resecanda, que per Priscianum et Donatum in grammatica declarantur.

XIV.

De perfecto dictamine.

Vitiis itaque penitus eiectis, in summa teneas quod omne dictamen commodum et perfectum tria requirit: bonam grammaticam, perfectum sensum locutionis, et verborum ornatum. Si autem hec tria dictator fecerit, perfecte dictabit. Sed ad minus nec latinitas desit, nec sententia generosa: et si ornatum adhibuerit, tunc dictamen quod triplici mixtura fulgebit laudari merito poterit et communi iudicio confirmari.

*Incipit secunda pars, de omnibus regulis que faciunt
ad artem utiliter adnotatis.*

Properate sitientes ad fontem gratulanter, et bibite confidenter omnes qui cupitis rethorice venustatis dulcedine satiari. Et non vos terreat si non habetis argentum vel aurum: nam absque ulla commutatione paratum est poculum universis scientie salutaris, quod multa cum aviditate non mediocriter, sed

(1) minus P.

sufficienter dilectio vestra suscipiat ad Dei laudem, et studientium commodum et honorem. His igitur premissis, ut quilibet sub competente habitu et serena facie nec non et debita vocis modulatione loquatur, sub compendio videamus quid sit pronuntiatio, et consequenter quid sit prosaycum dictamen, et unde dicatur.

I.

De pronuntiatione.

Pronuntiatio est vocis, vultus, gestus modulatio cum venustate. Dictamen est ad unamquamque rem, idest ad unamquamque materiam, competens et decora locutio, quia non sufficit, quod aliqua sciat dicere qui nosse debet dictare de omni materia que de facto posset occurrere. Competens dicitur quantum ad congruitatem vel incongruitatem, tam bone sententie quam recte gramaticae. Decora dicitur quantum ad ornatum verborum. Et dicitur *dictamen* a *dicto dictas* quod est frequentativum huius verbi *dico dicis*. Dicitur autem *prosaycum* a *proson*, quod est *longum*, quia, nec legi metrice vel rythmice subiacens, congrue se potest extendere.

II.

Quid sit epistola.

Epistola est libellus absenti vel absentibus destinatus, et dicitur *epistola* ab *epi*, quod est *supra*, et *stola* vel *stolon*, quod est *missio*, quod supra id quod nuntius posset mittentis affectum declarat. Nam propter oblivionem mentis et multiplicitatem negotiorum et discrimina viarum multa essent preterita, que epistola quasi speculum (1) representat.

(1) *epistolare speculum* P.

III.

Quare fuerit epistola inventa.

Epistola fuit inventa duabus de causis. Prima fuit ut amicorum secreta per eam celentur, unde dicitur ab *epistolo* quod est *abscondo*. Secunda causa fuit, ut melius quam nuntius exprimat que mandantur. Nuntius enim de omnibus recordari non posset; nam omnium habere memoriam, et penitus in nullo peccare potius est divinitatis quam humanitatis. Si non esset epistola, quo modo possent esse inter duo secreta, que sciente nuntio dicerentur? Et ideo non immerito fidelis nuntia dicitur secretorum, que crimen amici celat, verecundiam tegit, et absentes quantumcumque remotos inducit tamquam simul essent presentia corporali.

IV.

De partibus epistole.

Epistola vero domui comparatur: et sicut ad compositionem domus tres partes veniunt integrales, paries scilicet, fundamentum, et tectum; ita dicendum est quod tres sunt tantum partes epistole integrales, licet quidam asserant esse plures, scilicet exordium, narratio, et petitio. Et sicut in domo secundarie sive constitutive sunt infinite partes, ut lapides, cements et ligna et cetera que ad domus compositionem accedunt, ita in epistola secundarie partes sunt infinite; quia largo modo quelibet littera, sillaba vel dictio pars epistole dicetur, et sic essent innumerabilis. Et quia salutatio ponitur et premititur, quamvis non sit pars epistole, videamus quid sit salutatio, et unde dicatur.

V.

Diffinitio salutationis.

Salutatio est quidam titulus scribentium nomina manifestans, quia cum dicitur « Petrus Martino salutem »; et di-

citur « Incipit liber Horatii », sicut per talem titulum scimus nomen auctoris, ita per talem salutationem, tamquam per titulum dictum cognoscimus cuius sit epistola, et cui mittatur. Vel salutatio est quoddam ineffabile gaudium mentis, quod aliqua voce vel actu exprimi non potest, eo tamen animus moveretur ad optandam salutem alicui per verba tertie persone, quod ideo contingit, quia epistola mittitur inter absentes tamquam inter presentes. Et dicitur *salutatio* quasi *salutis optatio*, nam illum salutamus, quem sanum esse cupimus.

VI.

De his que considerantur in salutationibus.

In salutatione semper ista considerentur: que sit persona mittentis, que recipientis, et qui vel quale sit illud quod mittitur et optatur; quia non debet salutatio a qualitate vel statu personarum discedere vel discrepare, sed earum merita distinguere et dignitatem, condicionem, subiectionem, ordinem, parentelam, dilectionem, professionem, gentem vel patriam designare: et sic adiectiva circumscribere quod singula suum locum teneant sortita decenter: et si ille cui scribitur litteratus fuerit de litteratura; si honestus, de honestate; si strenuus miles, de strenuitate et fortitudine; si nobilis, de nobilitate; si eloquens et legalis, [et] de ipso laudetur: si fidelis, sapiens et virtuosus, de fide commendari debeat et sapientia pariter et virtute, ut videre poteritis in salutationibus infrascriptis.

VII.

De propria commendatione tollenda.

Item nota quod in salutatione non debent poni nomina que pertineant ad laudem mittentis sed tantum recipientis, cum scriptura testetur « *Os alienum te commendet, non tuum* », et in alio loco dicat « *Omnis laus in proprio ore sordescit* ».

VIII.

Generalis doctrina omnium salutationum.

Distingue igitur, o lector, ad generalem doctrinam omnium salutationum habendam, quod, si scribit par pari, persona recipientis premittitur. Exemplum: « Venerabili in Christo fratri A. Dei gratia episcopo Ostiensi B. eadem gratia episcopus albanensis in Domino salutem »; et sic de ceteris. Si maior minori, sive minor maiori, maior persona prefertur: verbi gratia cum prelati, rectores vel domini suis subditis scribunt, vel alii maiores suis minoribus et e converso, in ordine tam ecclesiastico, quam etiam seculari. Item quidam dicere voluerunt quod, cum minor scribit suo maiori semper debet causa subiectionis salutatio reticeri; quod non est verum, nisi ille cui scribitur sit summe maior, ut si episcopus aliquis scribat domino pape. Si vero sit mediocriter maior, ut si episcopus scribat suo metropolitano, recte salutatio poni potest. Sed inspecta mera veritate papam et imperatorem posset quilibet salutare, nisi usus solummodo repugnaret, qui est in talibus imitandus. Item cum maior scribit mediocriter minori, et minor est subditus, maioris persona premititur, ut episcopus canonicis vel aliis clericis suis. Ideo autem dixi « mediocriter minori », quia si sit multo minor vel vilis persona, ut puta qualis persona canonicus, capellanus, aliquis sindicus vel clericus modici loci vel quasi inlitterata persona, semper maior preponetur, licet talis minor non sit de iurisdictione sua: et idem in laicis. Quod si mediocris persona minori scripserit, servatur arbitrio dictatoris quam velit premittere aut postponere in ordine salutandi, ut si notarius scribat alicui scriptori. Item si manifesti sibi scripserint inimici, semper mittentis persona premittitur, et ubi salutatio ponitur, dicas « pro salute merorem » ut inferius apparebit in salutationibus adnotatis. Propterea dixi « manifesti », quia si occulti fuerint inimici, se ad invicem salutabunt.

IX.

Quomodo debeat salutari aliquis delegatus (1).

Item si iudex fuerit delegatus, quia vice super commisso negotio fungitur delegantis, sicut delegans scriberet, ita personam suam in salutatione ordinet delegatus, ut patebit ex salutationibus infrascriptis.

X.

In quo casu propria nomina in salutatione ponantur.

Item ut sciatur quis cui vel preponi debeat vel postponi et quomodo quilibet se debeat salutare, nota, ut subsequentia melius apprehendas, quod nomen recipientis in salutatione poni debet in dativo casu, et nomen mittentis in nominativo casu, cum dictioni buset adiectivis utriusque persone convenientibus. Exemplum « Amico dilecto B., G. salutem cum plenitudine gaudiorum ».

XI.

Specialis doctrina omnium salutationum.

Ne igitur obscurus fiam cum brevis esse labore, quod in genere posui, nube clarificata, sub specie demonstretur, ita quod maiores cum minoribus et iuniores cum senioribus in quolibet ordine peritiam habeant salutandi.

XII.

De filio ad parentes.

« Reverendis parentibus A. et B. pre cunctis mortalibus metuendis, honorandis, diligendis, G. eorum devotissimus filius

(1) De iudicibus delegatis *P. V.*

unicus » vel « minimus , salutem cum reverentia filiali », vel « cum filiali devotione salutem », vel « filiale reverentiam cum salute », vel « filialis reverentie famulatum », vel « omnimodam in omnibus reverentiam », vel « salutem, et siquid in mundo salubrius est salute », vel « salutem et quidquid boni Ioseph vel Iacob prebuit suo patri » vel « suo patri potuit exoptare ». Potest tamen causa reverentie tacere *salutem*, ut loco *salutis* dicat: « G. devotus eorum filius quidquid potest servitii vel honoris », vel « quicquid potest reverentie vel honoris », vel « se ipsum totum », vel « quicquid devotionis vel subiectionis , et reverentie potest », vel « se promptum ad omnia genera famulatus », vel « paterna semper vestigia imitari » vel « nunquam paternis preceptionibus contraire », vel « semper suis parentibus facere que sint grata ».

XIII.

De parentibus ad filium.

« A. et B. parentes », vel « A. pater et B. mater: G. benedicto filio suo quidquid Ysac Iacob contulit cum salute », vel « salutem cum dilectione perenni » vel « salutem et benedictionem » vel « salutem et scientie capere documenta », vel « salutem et Salomonis scientia illuminari », vel « salutem et illustrari scientia » vel « eloquentia Ciceronis », vel « salutem et bonorum consortia imitari », vel « salutem et gratiam a Domino promerer », vel « salutem et bonis moribus informari », vel « salutem et benedictionem quam filio patriarcha », vel « salutem et paterne benedictionis augmentum », vel « cum paterna dilectione salutem », vel « de bono in melius feliciter prosperari », vel « salutem et nunquam vacare a philosophicis documentis », vel « salutem et scolastice militie insudare », vel « salutem, et que sint iusta facere et honesta », vel « salutem, et mala fugere et in honesta vitare » vel « salutem , et prestolatum amicorum gaudium adimplere meritis proprie bonitatis ». Mater vel pater sic separatim scri-

beret. « Unice spei et gaudio singulari G. suo dilecto et benedicto filio, C. devotissima eius mater » vel « D. genitor, salutem et salutis eterne fructum et filius ». Et filius e converso parentum quemlibet salutabit. Si pater vel mater fuerit in dignitate, sic scriberet: « G. Dei gratia talis episcopus » vel « prelatus » vel « talis abbatissa, P. suo filio benedicto salutem et prosperitatem ».

XIV.

De parentibus ad malum filium.

« A. et B. parentes, G. utinam vocando filio pro salute maledictionem » vel « pro salute angustiam et dolorem » vel « pro salute verecundiam et dolorem et obbrobrium sempiternum », vel sic: « G. maledicto filio suo salutem pro meritis » vel « salutem quam meruit » vel « non salutem, sed ut Cayn malitie societur », vel « nunquam corporeis oculis revidere »; vel « salutem quam Lucifer cum ire filiis acquisivit », vel « salutem, et nunquam a meretricum natibus separari » vel, « maledictionem et lupanaris sordibus suffocari », vel « bestiarum dentibus lacerari », vel « inter caupone pocula » vel « ad caram et potationes consumere dies suos », vel « inter fures et ioculatores » vel « pocula interire ».

XV.

De filiis ad duros parentes.

« A. et B. parentibus utinam meritis evocandis, C. eorum solo nomine habitus filius salutem et quam tenetur reverentiam ampliorem », vel « salutem et paterna aperire viscera indigentie filiali », vel « salutem et paterne pietatis affectum circa filios exercere », vel « salutem et filiale carnem odio non habere », vel « salutem et errantem filium cum virga pietatis ad mandatorum semitam revocare », vel « salutem, et non denegare filio necessaria ministrare », vel « salutem et cordis duritiam

per (1) pietatis misericoriam (2) removere », vel » salutem, et inopie filiali succurrere, malignorum mendaciis reprobatis » vel « salutem, et illum non deserere quem natura creavit », vel « salutem et illi consulere cui deesse non possunt, ratione vel consuetudine prohibente », vel « salutem et delinquentis peccatis ignoscere redeuntis ». Si autem filius vel filia fuerit in dignitate, sic scriberet: « A. Dei gratia episcopus talis loci » vel « prelatus » vel « abbatissa, reverendis parentibus A. et B. » vel « dilecto genitori B. » vel « honorabili ac carissime sue matri C., salutem quam sibi ».

XVI.

De fratre ad fratrem.

« Peramando fratri » vel « carissimo » vel « peramabili » vel « diligendo et honorando » vel, si maior fuerit « metuendo domino atque fratri suo B., C. cum fraterna dilectione salutem », vel « salutem et fraternum amorem », vel « salutem et fraterne dilectionis affectum », vel « cum sincere dilectionis affectu », vel « salutem et optati successus augmentum », vel « salutem cum fraterne dilectionis ardore », vel « salutem et omne bonum », vel « salutem, et siquid salute pretiosius invenitur », vel « salutem et quam sibi desiderat sospitatem », vel « salutem quam sibi ». Et idem in sororibus, ut « diligende sorori B. morum elegantia plurimum decorate », vel « salutem cum fraterna dilectione ». Et dativos convertas in nominativos, et habebis responsivam. Si vero fratrum (3) aliquis erit in dignitate, sic dices: « Venerabili domino atque fratri G. Dei gratia episcopo florentino, A. et B. seipsos cum fraterna dilectione ». Si autem erit abatissa, sic dices: « Domine ac sorori plurimum venerande V. Dei gratia abbatisse talis loci, A. et B. cum fraterna dilectione salutem ».

(1) ad R.

(2) *Codd. miām.*

(3) frater tuus O.

XVII.

De consobrino ad consobrinum.

« Amantissimo » vel « honorabili » vel « amando aut diligendo seu « peramabili consobrino suo S., V. salutem et puram dilectionem », vel « sincerum amorem », vel « cum sincere dilectionis fervore » vel « salutem et prosperitatem », vel « prosperitatis augmentum », vel « debiti honoris augmentum », vel « salutem et vite longitudinem cum honore », vel « salutem in longitudine dierum vite », vel « salutem, et corporeis inspicere oculis quem mentis affectibus contemplatur », vel « debitum honorem, atque res et habitum retinere », vel « salutem et honori habito debitum cumulare » vel « aggregare » vel « sociare », vel « salutem, et sua negotia feliciter pertractare », vel « presentia mala fugere, et futuris utilitatibus providere ».

XVIII.

De nepote ad patruum clericum.

« Reverendo patruo, immo patri, unico benefactori et domino speciali », vel « unice post Deum spei, benefactori precipuo, portui salutis, et refugio singulari », vel « venerabili patruo, immo in Christo patri et domino metuendo », vel « reverendo patruo, immo domino atque patri ubique suis meritis commendando, G. Dei gratia episcopo Mutinensi dignis laudibus et proprio bonitatis meritis honorando »; vel « tam sapientia quam honestate morum et omnimoda bonitate laudando » vel « multa sapientia et honestate fulgenti, D. salutem et totius promtitudinem famulatus » vel « salutem et promptum semper devotionis affectum ». Vel taceas *salutem*, et dicas: « D. omnium suorum nepotum minimus promptum senper et debitum in omnibus famulatum », vel « quicquid devotionis et reverentie potest » vel « sui commendationem et promptissimum famulatum » vel « debitam in omnibus reverentiam » vel

« debitum in omnibus famulatum » vel « se ipsum totum ad beneplacita et mandata » vel « debite reverentie famulatum », vel « debiti famulatus obsequium » vel « promptum devotionis obsequium » vel « se totum cum sincere dilectionis obsequio » vel « sui commendationem in omnibus cum perenni promptitudine famulandi ». Et secundum hunc modum minores et subditi prelatos et pastores poterunt salutare.

XIX.

De nepote ad patruum laicum (1).

« Viro probo et discreto, avunculo ac domino metuendo G., V. scolaris Bononie, suorum nepotum minimus salutem cum promptitudine serviendi », vel « salutem cum sincere dilectionis perseverantia » vel « quicquid fidelitatis et servitii potest », vel « salutem, et gaudiorum semper ad vota successus » vel « salutem et successibus abundare (2) », vel « salutem, et si quid melius » vel « ad vota successus prosperos cum salute », vel « salutem et seipsum », vel « salutem et quicquid potest servitii » vel « honoris », vel « salutem et bonis omnibus abundare », vel « salutem et sui commendationem cum promptitudine serviendi », vel « salutem, et sospitate omnimoda gratulari ».

XX.

De prelato ad nepotem suum.

« Gerardus Dei gratia » vel « Dei miseratione » seu « miseratione divina » vel « sola Dei providentia » vel « sedis apostolice dignatione » vel « quamvis immeritus » vel « licet indignus » vel quamquam non suis meritis, episcopus » vel « prepositus » seu

(1) ad avunculum clericum *P.*

(2) successus successibus augmentare *P.* successus successibus abundare *O.*

« archipresbiter, plebanus, prior » vel « abbas » vel « talis loci prelatus » vel « rector solo verbo et non opere, dilecto nepoti suo C. scolastice militie Bononie commendato salutem et benedictionem a Domino » vel « salutem in Domino » vel « salutem, et fructum reportare scientie ac honoris », vel « salutem et Salomonis sapientiam et Ulixis astutiam et Ciceronis eloquentiam imitari », vel « salutem et mutare mores cum tempus postulat aut res. »

XXI.

De laico ad nepotem scolarem.

« Rainerius (1) talis iudex » vel « miles » seu « mercator » vel « campsor, peramando nepoti suo insistenti Bononie scolasticis disciplinis salutem, et optinere sapientiam Salomonis », vel « salutem et dilectionem » vel « salutem et honoris debiti incrementum » vel « salutem et gratiam apud Deum et homines promereri », vel « salutem et prosperis fugare sinistra », vel « salutem et honoris debitum incrementum. »

XXII

De amita vel materterea ad neptem vel nepotem.

« Diligendo nepoti V., B. eius amita » seu « materterea cum sincera dilectione salutem » Nepti sic scribituri : « Sue peramande nepoti B., V. salutem cum intimo amore. »

XXIII.

De nepote ad amitam.

« Reverende amite » sive « materterea B., R. eius devotissimus nepos » vel « devotissima neptis, cum promptitudine « gaudiorum » vel « cum sinceri amoris affectu. »

(1) Gerardus P. V. O.

XXIV.

De consanguineo ad consanguineum.

« Dilecto et peramabili consanguineo V. civi Bononiensi,
... Mutinensis⁽¹⁾ civis salutem cum sincere dilectionis constantia.»

XXV.

Generalis salutatio ad parentes et ad alias personas.

« Reverendis dominis A. presbitero, B. avo et C. avie, et
peramabili patri D., et dulcissime matri E., carissimis patruis
F. et G., metuendis avunculis H. et I., honorabilibus et sa-
pientibus dominabus K. et L. amite et matertere, providis et
discretis fratribus M. et N., et dilectis sororibus O. et P., et
diligendis consobrinis Q. et R., et S. socero, T. honeste uxori,
strenuo consanguineo V., et precordiali amico X. et vicino
Y., et ceteris dominis, vicinis et amicis non modica laude di-
gnis, C. Bononie vigilans in scolasticis documentis » vel « di-
sciplinis, salutem cum reverentia et dilectione perenni ». Re-
verentia redditur presbitero et parentibus, dilectio personis
aliis appropriatur. Et convertas dativos in nominativos, et sic
habebis responsivam salutationem.

XXVI.

De amico ad amicum.

« Suo speciali et precordiali amico dilectissimo » vel ami-
corum precipuo » vel « dilectissimo et carissimo amico » vel
« discreto, sapienti et peramabili amico » vel « amicorum non
ultimo, A. morum claritate repleto » vel « amico suo pre
mundi ceteris diligendo V., B. salutem et amorem » vel « sa-
lutem et omne bonum ». vel « salutem cum indissolubili amo-

(1) V. civi Ferrariensi, G. civis Parmensis. P. V. civi Senensi,
G. civis Pisanus O. V.

ris vinculo » vel « cum sincere dilectionis affectu », vel « salutem et amicitie firmitatem » vel « consuete dilectionis constantiam », vel « salutem et prosperos ad vota successus » vel « ad vota successus prosperos cum salute » vel « successus successibus augmentare » vel « prosperis successibus abundare », vel « salutem, et siquid possit melius inveniri », vel « salutem et siquid saluberius est salute » vel « salutem et plenitudinem gaudiorum » vel « salutem quam sibi. » Si autem dominabilis amicus fuerit, ita scribes: « Precordiali domino et amico » vel « speciali tamquam domino et amico P. honestate morum fulgenti » vel « multa sapientia decorato I. salutem, et quicquid dilectionis et servitii potest » vel « salutem et votiva continuo perfrui sospitate » vel « salutem et illesam omni tempore amicitiam conservare. » (1)

XXVII.

De socio ad socium.

« Socio carissimo » vel « precordiali » vel « dilecto et peramabili socio B. scolari paduano, G. olim socius eius, nunc scolaris Bononie salutem et scientie capere documenta » vel « salutem et facundiam consequi Tullianam » vel « salutem, et de gradu ad gradum prosperitatis ascendere peroptatum » vel « salutem et philosophie palatium introire » vel « ad scientie plenitudinem pervenire » vel « salutem et ad pedes philosophie crebris vigiliis accubare » vel « salutem et per scalas sapientie (2) adscendere, et Dei et hominum gratiam invenire », vel « salutem, et ad perfectionem venire iuris tam canonici quam civilis », vel « salutem et illa in terris discere que hominibus placeant et angelis in excelsis », vel « salutem et visione mutua gratulari », vel « salutem, et scientiam acquirere et divitias congregare », vel « salutem et optata semper

(1) *P. add.* vel « dilecto et carissimo amico » vel « discreto » vel « sapienti et peramabili amico ».

(2) *Al.* philosophie.

perfrui sospitate » vel « sanitatem », vel « optati honoris augmentum », vel « salutem et scientiam acquirere et divitias congregare », vel « salutem et omnimoda perfrui sospitate » vel « omnimoda felicitate gaudere », vel « salutem et cuncta que desiderat optinere » vel « salutem et omnia habere pro beneplacitis voluntatis » vel « ad beneplacitum voluntatis », vel « salutem et haurire aquas de fontibus scientie salutaris. »

XXVIII.

De scolaribus et discipulis ad magistros, et e converso.

« Domino magistro A., variis scientiis redimoto » vel « litteratorie militie cingulo redimoto » vel « floribus eloquentie purpurato » vel « spectabilis eloquentie ac scientie viro, iuris prudentia et facti experientia redimoto » vel « morum prerogativa conspicuo, et honestatis gloria rutilanti » vel « septiformis sapientie luce fulgenti, V. salutem et in scolis philosophie militiam exercere » vel « salutem, et ea scire vel docere in terris que placeant angelis in excelsis », vel « salutem cum promptitudine serviendi » vel, « quicquid devotionis et reverentie potest » vel « seipsum totum in omni genere subiec-tionis. Magister sic suo discipulo scribit: « Dilecto socio et peramabili discipulo I., magister P. salutem cum sincere dilectionis fervore » vel « salutem et suam (1) gratiam. »

XXIX.

De subdito ad prelatum.

« Unice spei, singulari refugio et benefactori precipuo domino P. talis loci prelato, V. suus clericus subditus et fidelis seipsum totum ad beneplacita et mandata », vel « venerabili in Christo patri et domino speciali V. Dei gratia dignissimo

(1) dilectionem V. benivolentiam P.

episcopo vel archiepiscopo », vel « tali prelato, multa sapientia et honestate fulgenti, V. talis subditus quicquid devotionis et reverentie potest » vel « sui commendationem in omnibus cum perenni promptitudine famulandi » vel « se totum, et obedientiam et reverentiam et devotionem perpetuam. » Et recurre superius ad titulum *de nepote ad patruum clericum*, ubi uberioris invenies verba que presentibus convenient.

XXX.

De subdito ad dominum laicum.

« Summe probitatis ac magnificentie viro domino suo G. Orlandino (1) multa laude et honore digno » ... « talis eius fidelis » vel « vice comes » vel « castaldus » vel « procurator » vel « talis burgensis » vel « administrator » vel « negotiator » vel « negotiorum gestor » vel « vassallus » vel « subditus, promptum semper et fidele servitium » vel « quicquid poterit » vel « seipsum totum in omni genere famulatus » vel « fidelitatis », vel « salutem, et quicquid potest servitii » vel « honoris », vel « se totum ad beneplacita et mandata », vel « salutem et honoris debiti incrementum. »

XXXI.

De domino ad fideles et marito et uxorem et e contrario.

« Dilecto fidi suo P. vassallo, vicecomiti » vel « castaldo, G. de Martino (2) salutem et suam gratiam, » vel « salutem et omne bonum. » Et si vellet, dominus nomen suum rationabiliter posset preponere, et artem et regulam sequetur.

Maritus sic uxorem salutat: « D. dilectissime uxori sue, C. salutem cum indissolubilis amoris vinculo ». Uxor sic

(1) G. de Plaudo *P.* G. de Corlando *O.* G. de Rollando *V.*

(2) de Rollando *P.* *V.*

maritum: « Viro et domino pre cunctis metuendo B., C. devotissima eius uxor » vel « fidelissima, salutem cum perpetue dilectionis costantia. »

XXXII.

De imperatrice ad reginam.

« A. Dei gratia Romanorum imperatrix et semper augusta, G. eadem gratia illustrissime regine Francorum salutem cum desiderabilis prosperitatis augmento. ».

XXXIII.

De consanguinea ad consanguineam.

Consanguinee sic se salutant: « B. puleritudine ac morum elegantia plurimum decorate, M. uxor talis salutem cum plenitudine gaudiorum. »

XXXIV.

Ad dominas et mulieres sic scribitur ante factum.

« Nobili et sapienti domine, vel nobilissime ac sapientissime domine B. (1) duchisse Austrie, vel A. marchiane Estensi, vel comitis Campanie, capitanee vel valvassorisso » vel « tali domine, forma et morum et elegantia decorate » vel « forma et sensu plurimum reluenti, V. se ipsum totum » vel « quicquid sibi » vel « quicquid poterit » vel « si aliquid valet salute pretiosius inveniri » vel « salutem cum fidelissimo servitio » vel « salutem et quicquid fidelitatis et servitii potest ».

(1) D. P.

XXXV.

Ad mulieres post factum.

« Anime sue dimidio, pre cunctis viventibus diligende » (1) vel « specialissime amice, domine C., D. animam et corpus et si plura posset » vel « quicquid habet et videtur habere » vel « C. amice dulcissime forma, sensu et genere decorate » vel « anime sue dimidio, et oculorum suorum lumini, C. formosissime ac pretiosissime domine, amice dulcissime, A. ineffabilis iocunditatem » vel « illud gaudium mentis quod voce vel actu exprimi nunquam potest » vel « super aurum et topation reluenti domine C. amice dulcissime, V. quicquid potest, et si ultra posset » vel « tot salutes et servitia quot in arboribus folia, quot in celo fulgent sidera, et quot arene circa maris littora. »

XXXVI.

De potestatibus, comitibus, rectoribus et consulibus inter se et ad subditos, et convertitur. (2)

« Mirifice bonitatis ac sapientie viro domino A. potestati Bononie dignis et magnis laudibus et decorato, B. potestas Cremonae salutem, et sui regiminis exitum gloriosum. » Pro magnis vero negotiis apponitur consilium, pro maioribus totus populus civitatis, hoc modo: « Nobilibus et sapientibus viris domino G. potestati, excelsa consilio, ac honorata communitate civitatis Mediolani, U. Bononie potestas, consilium et populus universus salutem cum honoris et glorie incremento » vel « salutem et totius felicitatis augmentum » vel « salutem, et prospero semper abundare successu » vel « salutem et de hostibus feliciter triumphare » vel « salutem et in omnibus prosperare » vel « salutem cum indissolubili amoris vinculo » vel « salutem, et amoris perpetui firmitatem ». Rectores sic

(1) diligendo V. R.

(2) e converso P.

potestati « Egregio et prudenti viro domino A. potestati Bononie, C. et D. (1) eiusdem civitates rectores salutem et prosperitatem. » Consules sic scribunt: « Nobilibus viris consulibus Placentinis I. et V., (2) consules Mutinenses salutem et dilectionem ». Potestas et consilium sic consulibus: « Ariprandus Faba (3) Bononie potestas et eiusdem civitatis consilium A. et B. consulibus ville Nonantule » vel « Burgi Panicalis » vel « castri Sancti Iohannis, et toti eiusdem loci populo salutem et omne bonum ». Consules et potestas sic dominis: « Viro egregio (4) U. Bononie potestati et consilio universo multa sapientia et bonitate propria commendandis, A. potestas de Monte Alto (5) » vel « consul castri Plumatii » vel « ville Mutine » aut « burgi Galere (6) salutem et seipsum » vel « quicquid potest servitii vel honoris » vel « se ipsum totum ad beneplacita et mandata » vel « salutem et honoris debiti incrementum ». Subditi sic inter se: « Nobili viro et plurimum sapienti A. potestati Castri Novi, (7) G. potestas Galere (8) salutem cum sincere dilectionis affectu ». Consules sic inter se: « Providis et discretis viris, amicis et viciniis carissimis A. et B. consulibus Bagnarole (9), C. et D. consules talis loci (10), salutem et suum servitium et amorem. »

XXXVII.

*De regibus, ducibus et marchionibus inter se et ad subditos (11).
et convertitur.*

« Glorioso et excenso viro », vel « illustri et preclaro viro domino I. Dei gratia felicissimo regi Franchie, dignis et magnis

(1) B et C P.

(2) A et B. P.

(3) Sic P, V, O. A. R.

(4) nobili « vel » egregio P.

(5) de Monte Bellio P.

(6) burgi Bonconventi O.

(7) Castri Fracti P.

(8) Castri Maculi P. talis castri V.

(9) Panigarole P.

(10) Vetrane P.

(11) *De magnis ad subditos* P.

laudibus decorato, B. eadem gratia illustris rex Ungarie » vel « alme urbis Senator illustris, salutem, et optata semper felicitate bearri » vel « salutem et amoris perpetui firmitatem » vel « salutem et totius altitudinis incrementum ». Duce sic inter se scribunt: « Magnifico et potenti domino G. illustri duci Spoleti quem ubique terrarum proprie bonitatis merita recommendant, A. illustris dux Austrie salutem, et de inimicis triumphum ». Marchiones sic inter se scribunt: « Inclito et preclaro viro domino I. excuso marchioni Montis ferrati quem fama commendat et gloria militaris, V. (1) Estensis et Anconitanus marchio salutem et prospera prosperis cumulare ». Comites inter se sic: « Magnifico et potenti viro domino Guidoni (2) de Tuscia honoratissimo comiti palatino, quem decus exornat, fama, liberalitas, probitas et curialitas approbata, Iohannes de Gavinana (3) comes Romanole salutem et cuncta que desiderat optinere ». Et sic scribunt sibi magni et potentes viri et mundi principes, et barones magni subditis: « F. Dei gratia rex illustris Francorum » vel « talis dux, marchio, comes « aut » princeps, I. de tali loco suo fideli salutem et suam bonam voluntatem ».

XXXVIII.

De militibus inter se.

« Inclito et potenti » vel « nobili et illustri » vel « magnifico et preclaro ac strenuo militi, domino Salinguerre Ferrariensi multa discretione conspicuo et dignis laudibus commendato » vel « nobili et prudenti viro domino Rolando (4) honorato militi Mutine » vel « multa laude et honore digno vel quem fama militaris decorat, et gloria recommendat,

(1) A P.

(2) G. P. A. V. Armaleo O.

(3) Guarmatia V. Magatia O.

(4) Rolandino P.

Iacobus de Prindiparte (1) Bononie salutem cum promptitudine serviendi » vel « de gradu prosperitatis ad gradum adscendere peroptatum ». Et sic omnes milites se salutant.

XXXIX.

De regibus inter se, et quomodo scribant domino imperatori.

« Federico Dei gratia victoriosissimo Romanorum imperatori et semper augusto, P. eadem gratia rex Francorum salutem et obsequium ». « Illustrissimo et feliciter triumphanti domino F. Dei gratia serenissimo et cristianissimo Romanorum imperatori semper augusto, D. eadem gratia alme urbis senator illustris salutem et suum servitium et amorem » vel « talis dux, comes, baro » vel « princeps Capue salutem, et quiequid poterit servitii vel honoris ». Vel dicas: « A potestas Cremonae, consilium et populus civitatis promptum fidelitatis intime famulatum ». Et si vassallus fuerit, ita dicat: « A. de tali loco fidelis vassallus diu feliciter imperare » vel « debitum in omnibus fidelitatis obsequium ».

XL.

Quomodo scribitur domine imperatrici et duci Venetiarum.

« Gloriosissime ac serenissime domine. A. Dei gratia feli-
cissime Romanorum imperatrici, et semper auguste, potestas,
consilium et populus civitatis Bononie eius subditi et fideles
tam promptum quam devotum in omnibus famulatum ».
Duci Venetie sic scribitur: « Preclaro ac magnifico viro do-
mino P. Clani Venetie, Dalmatiae, Croatiae, dimidieque nec
non et quarte partis imperii Romanie duci felicissimo, A. po-
testas, consilium et populus civitatis Bononie salutem in lon-
gitudine dierum et vite » vel « salutem et optata semper fe-

(1) Iacobinus de Prendiparte V. O. Iacobinus Iohannis R.

licitate bearī ». Et eumdem modū servabimus in salutando alias sublimes personas, ut in precedentib⁹ continetur.

XLI.

De imperatore ad imperatorem, et alios.

« A Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus magno viro imperatori constantinopolitano et semper augusto salutem et pacem et amorem ». Regibus autem dicit « salutem et omne bonum », et idem dicit amieis quibus vult. Imperatrici sic scribitur: « F. Dei gratia Romanorum imperator semper augustus peramabil uxori sue C. (1) imperatrici et semper auguste salutem et amoris plenitudinem ». Aliis sic scribitur: « F. Dei gratia et cet. magno viro P. marchioni de Monte ferrato fideli suo, » vel « viris nobilibus et dilectis V. (2) potestati, consilio et populo Imolensi, salutem et suam gratiam et bonam voluntatem ».

XLII.

Quomodo scribit dominus papa.

Dominus papa cardinales et omnes archiepiscopos, patriarchas, primates, episcopos appellat fratres hoc modo: « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri patriarche Antiocheno » vel « primati Gradensi » vel « archiepiscopo Ravennati » vel « episcopo Bononiensi, salutem et apostolicam benedictionem ». Et nota quod non ponit in litteris suis proprium nomen prelati, sed duo puncta fiunt, inter que remanet modicum spatum carte quod representat proprium nomen; et significat quod non scribitur persone, sed tantummodo dignitati; quod patet ex eo, quod dignitas sequitur illud spatiū cum dicit « episcopo Bononiensi » vel « Imolensi ». Abbates

(1) B. P.

(2) A. P.

et priores, archipresbiteros, cantores, prepositos, preceptores, (1) magistros scholarium et cymiliarchas « dilectos in Christo filios », dicendo: « Gregorius, et cet. dilectis in Christo filiis abbati et conventui Sancti Stephani Bononie salutem et benedictionem ». Canonicis, cappellanis et omnibus aliis clericis, doctoribus, magistris, universitati scholarium dicit, « dilectis filiis » non ponendo « in Christo »: « Gregorius et cet. dilectis filiis canonicis Imolensibus » vel « clero civitatis Faventie » vel « dilectis filiis doctoribus et magistris et universitati scholarium Bononie commorantium salutem et apostolicam benedictionem ».

XLIII.

*Quomodo dominus papa scribit imperatori, imperatrici
et magnis personis.*

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, F. illustri Romanorum imperatori et semper augusto salutem et apostolicam benedictionem ». Et eodem modo scribit imperatrici, dicendo: « Gregorius et cet. dilekte in Christo. G. (2) illustri Romanorum imperatrici et semper auguste salutem et benedictionem ». Reges autem et reginas, dominos et maiores principes « illustres » appellat. Exemplum: « Gregorius et cet. dilecto in Christo filio illustri regi Francie, Anglie, Ungarie, » vel « principi Capue, duci Venetiarum » vel « Baverie, » vel « Austrie ». Item « dilecte in Christo filie (3) illustri regine Francie » vel « comitisse Campanie salutem et apostolicam benedictionem ». Minores vero appellat tantum filios, non dicendo « in Christo »: « Gregorius et cet. dilecto filio nobili viro Salinguerre Ferrarensi, salutem et benedictionem ». Omnibus autem quos salutat indiferenter dicit « salutem et apostolicam benedictionem ».

(1) *Codd. precentores. R. habet:* plebanos, prepositos, archidiaconos, cimiliarchas sive magistros.

(2) *D. P.*

(3) *F. R.*

XLIV.

De nominibus principum premittendis.

Nota quod nomen pape semper premittitur, sive scribat aut scribatur ei; et nomen imperatoris eodem modo, nisi scribat domino pape. Hoc modo scribitur domino pape: « Sanctissimo patri domino G. Dei gratia summo pontifici, B. illustris rex vel regina Francie, comitissa Campanie » vel « talis comes » seu « princeps, dux » vel « baro » vel « talis sanctimonialis virgo Deo dicata » vel « vidua, totius devotionis affectum » vel « talis patriarcha, archiepiscopus, episcopus » vel « prelatus » vel « abbatissa et conventus monialium Sancti Vitalis Bononie », vel « A. potestas et consilium ac populus civitatis Bononie », vel « consules et universitas campsorum, » vel « mercatorum » vel « doctores et magistri, et tota universitas scholarium » vel « prepositus (1) et totus clerus civitatis Bononie, pedum oscula beatorum » vel « feliciter Petri naviculam in maris fluctibus gubernare ».

XLV.

Quomodo scribit imperator domino pape vel aliis personis.

« Sanctissimo patri et domino Gregorio Dei gratia summo pontifici, F. eadem gratia Romanorum imperator et semper augustus salutem et omnimodam reverentiam ». Aliis omnibus a domino papa dicit « gratiam suam et bonam voluntatem » vel « salutem et omne bonum ». Aliis personis sic scribit: « F. Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Iherosolime et Sicilie rex, speciali amico D. eadem gratia Ostiensi episcopo » vel « amico carissimo et fideli P. eadem gratia episcopo Cremonensi salutem et amorem »; et sic scribit omnibus de regno.

(1) prepositi V. O.

XLVI.

Quomodo scribit in dignitate positis.

« Fredericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, A. dilecto suo amico abbatи Sancti Proculi » vel « tali clericо » vel « magistro » vel « scolari, viro discreto et amico dilecto Bononie commoranti, salutem et bonam voluntatem ». Et sic omnes reges scribunt clericis et talibus personis, et alii principes et magnates cum scribunt minoribus, ut « talis dux » vel « princeps A. tali clericо, salutem et dilectionem ». Si autem magnis prelatis scribebantur, deberent eorum nomina premittere, ut: « Venerabili in Christo patri domino I. Dei gratia dignissimo patriarche Aquileiensи » vel « primati Gradensi, archiepiscopo Ravennati » vel « Mediolanensi, talis dux salutem et reverentiam et amorem ».

XLVII.

Quomodo scribit episcopus archiepiscopo vel de episcopis suffraganeis (1).

« Venerabili in Christo domino A. (2) Dei gratia dignissimo archiepiscopo Ravennati, G. parmensis episcopus salutem et reverentiam in omnibus tam debitam quam devotam » vel « salutem et sinceram in Domino caritatem ». Archiepiscopus vero, suffraganeis suis scribendo, nomen suum et preponere et postponere potest, si placet. Exemplum: « A. Dei gratia archiepiscopus Ravennas, venerabili in Christo fratri B. regino episcopo salutem in Domino » vel « dilecto in Domino » aut « venerabili in Christo fratri, tali episcopo, talis archiepiscopus in vero salutari salutem ».

(1) *Quomodo scribunt prelati P. V.*

(2) *I. P.*

XLVIII.

De episcopis

Episcopi vocant se fratres hoc modo: « Venerabili in Christo fratri et amico speciali V. Dei gratia episcopo Faventino, M. (1) eadem gratia episcopus Imolensis salutem in domino » vel « salutem cum sincere dilectionis ardore ». Maiores autem episcopos vocant patres et eorum nomina anteponunt, considerantes maioritatem esse circa sanctitatem vel honestatem vel quoad senilem etatem, nobilitatem, vel sapientiam ampliorem, largas divitias vel civitatem maiorem, vel quia primo fuit in dignitate; et scribunt talibus in hunc modum: « Venerabili in Christo patri, amico et domino suis mortitis honorando I. Ariminensi episcopo D. Foripopuliensis episcopus in vero salutari salutem ».

XLIX.

De episcopis ad subditos.

Episcopi vocant filios qui sue iurisdictionis existunt; et nomen prelati mittentis premittitur tali modo: « Henricus (2) Dei gratia Bononiensis episcopus dilecto in Cristo filio tali capellano vel clero salutem et benedictionem ». Item prelatos subditos vocant fratres hoc modo: « A divina miseratione Mutinensis episcopus dilecto in domino fratri abbatii sancti Petri » vel « preposito, priori » vel « archipresbitero talis loci salutem in salutis auctore » vel « felicibus aut votivis successibus abundare ».

(1) B. P.

(2) Henrichus R.

L.

Quomodo scribunt episcopi alterius subditis.

De aliena quidem iurisdictione clericos vocant episcopi, sicut placet eis, vel « filios » vel « fratres » vel « amicos » vel « viros dilectos »; et eorum nomina preponunt vel postponunt (1), inspetis personis secundum generalem superius datam distinctiōnem, sive laici fuerint sive clerici; (et) licet quilibet clericus pro susceptis ordinibus maior quovis laico censematur et ita nomen eius semper possit premitti, tamen prelati magnatibus deferunt et humilitatis causa eorum nobilitatem posponunt. Exemplum breviter ad predicta: « Henricus Dei gratia Bononiensis episcopus dilecto sibi clero et amico » vel « laico Mutinensi » vel « dilecto in Christo fratri tali canonico Parmensi salutem in Domino »; et sic preponitur episcopus: « Dilecto in Domino fratri B. Nonantulane plebis archipresbitero » vel « viro provido et discreto domino Manfredino (2) regino canonico, intimo et speciali amico talis episcopus salutem in domino ». Sic premittitur laicus: « Viro provido et discreto domino Gerardo Rangoni civitatis Mutine multa laude et honore digno Henricus summa gratia Bononiensis episcopus, salutem et dilectionem in Domino ».

LI.

*De archidiaconis, archipresbiteris, plebanis, prioribus
et cappellanis.*

« Reverendo in Christo fratri R. florentino archidiacono T(ancredus) archidiaconus Bononiensis, salutem cum sincere dilectionis fervore »; et sic se salutant archipresbiteri et plebani, priores et prepositi. Archipresbiter sic salutat cappellatum suum:

(1) preponuntur vel postponuntur *R. V. O.*

(2) *M. P.*

« G. archipresbiter talis loci dilecto fratri suo A cappellano talis loci salutem et omne bonum ». Cappellani sic se salutant ad invicem : « Dilecto et precordiali amico » sive « fratri V. talis loci cappellano, M. cappellanus talis ecclesie cum omni eternali dilectione salutem ».

LII.

De iudicibus delegatis.

Si iudex fuerit delegatus domini pape , maior est quemcumque, ut diximus ; et ita, cuicunque scriberet, posset premittere nomen suum, dicendo ; « I. Dei gratia Parmensis episcopus a sede apostolica delegatus venerabili in Christo fratri patriarche Gradensi » vel « archiepiscopo Mediolanensi » vel « illustri et gloriose viro regi Anglicano salutem in Domino ». Si alterius prelati vel principis delegatus vel vicarius fuerit, maior est omnibus qui sunt iurisdictionis ipsius ; et ista veritatis ratione posset preponere nomen suum , ut dictum est.

LIII.

De consideratione delegati.

Quicquid autem possit facere delegatus, ne superbire videatur, humilitatis sectetur magistrum , qualitatem sue personae inspiciat et officii consideret dignitatem ; et scribat maioribus et minoribus secundum regulam prelatis superius assignatam sic plane, sic suaviter et humiliter ac prudenter, quasi non esset in legatione huiusmodi constitutus.

LIV.

De dominis cardinalibus et titulis eorumdem.

Cardinalium sedis apostolice alii sunt presbiteri, alii diaconi. Item presbiterorum alii sunt episcopi, alii simpliciter

cardinales presbiteri; inter quos sic diversifica: quia, si fuerit episcopus, dicimus: « Venerabili in Christo patri domino T. Ostiensi et (1) Vellitrensi episcopo, talis episcopus salutem et reverentiam » vel « sui commendationem et promptum in omnibus famulatum ». Si vero presbiter cardinalis, dicimus: « Reverendo in Christo patri et domino G. tituli Sancti Marchi (2) dignissimo presbitero cardinali talis salutem, vel seipsum etc. ». Una tamen ecclesia est Rome, que habet titulum (3) « ecclesiam baptisimalem », ut in curia intellexi; et non dicitur (4) titulus talis ecclesie, sed per antonomasiam sic scribitur ei: « Basilice xij apostolorum presbitero cardinali ». Si autem fuerit diaconus cardinalis, dicimus ita: « Venerabili in Christo patri magistro Rainerio Sancte Marie in Cosmedin dignissimo diacono cardinali, A. potestas, consilium, et commune civitatis Bononiae promptum devotionis intime famulatum » vel « talis clericus » sive « laicus, seipsum totum in omni genere famulandi ». Non enim dicimus « diacono talis tituli », quoniam habere titulum diaconi non dicuntur. Et nota quod titulus nomen ab auctore suscepit, unde dicitur titulus Calixti, quasi ab ipso ecclesie fundatore.

LV.

De abbatibus, abbatissis et monialibus.

« Reverendo ac dilecto in Christo fratri multe discretionis ac honestatis viro domino G. sancti Proculi abbatii, A. licet immeritus monasterii sancti Stephani abbas, salutem et sinceram in Domino caritatem ». Abbatisse sic salutant se: « Venerabili in Christo sorori A. Dei gratia monasterii sancti Vitalis abbatisse dignissime » vel « G. Cenobii Sancte Marie Maioris » vel « Sancti Columbani humilis abbatissa in vero

(1) vel *R. O.*

(2) Ecclesie Sancte Marie *P.*

(3) (dest) *add. P. V. O.*

(4) non *om. P. R.*

salutari salutem » vel « salutem et orationem in Domino ». Monacha sic salutat suam abbatissam: « Venerabili in Christo matri et domine E. sancti Gregorii abbatisse dignissime, soror A. peccatrix monacha debitam reverentiam cum devota subiectione », vel « cum pura dilectione ». Monachi sic se salutant generaliter: « Dilecto fratri monacho et amico domino Iacobo discreto monacho talis loci dominus P. monachus sancti Felicis salutem et in Domino gloriari ». Monachus sic abbat: « Venerabili in Christo patri et domino metuendo I. Sancti Felicis abbati dignissimo, dominus B. humilis eius monachus et devotus seipsum totum in omni genere famulandi ». Laici sic monachis: « Domino et amico domino C. monacho talis loci, A. laicus salutem et reverentiam » vel « devotionem cum dilectione sincera ». Monachus sic monache: « Dilecte in Christo sorori domine A. sancte Margarite moniali propriis meritis honorande, dominus C. monachus talis loci salutem et ad salutis gaudia pervenire ». Monacha sic monacho, « Domino atque fratri in Christo suis meritis honorando D. monacho: talis loci, A. monacha sancti Vitalis salutem et dilectionem in Domino ».

LVI.

De monachis et monachabus inter se, et de laicis ad eosdem.

Monache sic se ad invicem salutant: « Amantissime sorori sue in Christo plurimum venerande A. Sancte Marie Maioris honeste sanctimoniali, G. monacha sancti Gervasii salutem in Domino ». Conventui monialium sic scribitur: « Dilectis vel revendis in Christo sororibus abbatisse et sancti monialibus talis loci, magister T(ancredus) Bononie archidiaconus salutem et ad sponsi convivium cum sapientibus virginibus introire ». Generaliter autem possumus eis dicere « salutem et in oratione constantiam » vel « salutem in eo cui angeli serviunt » vel cuius speciem » vel « cuius pulcritudinem sol et luna mirantur » vel « salutem, et sic transire per temporalia, ut per ea non amittantur eterna » vel « salutem et cum desiderio iugum Domini sustinere » vel « salutem et carnis voluptates oratio-

nibus et vigiliis et ieuniis edomare » vel « salutem et illam quam mundus dare non potest pacem » vel « salutem et de labore fructum suscipere gloriosum (1) » vel « Dominum facie ad faciem contemplari » vel « de cursu bravium obtinere » vel « semper oleum in lampadibus suis ferre » vel « salutem et celesti sponso placere, et illibatum servare pudoris annulum et armillam », vel « salutem et ad fructum centesimum pervenire ».

LVII.

De heremitis, humiliatis pariter et conversis.

« Dilecto in Christo fratri amico speciali et domino reverendo B. heremite Camaldulensi sanctitate vite probato et mentis ac corporis honestate, B. heremita sancti Michaelis de Nemore salutem et usque ad veram perseverare coronam ». Humiliati et Deo devoti sic se salutant: « Viro dilecto amico et fratri carissimo A. penitentiam agenti (2) B. humiliatus et Deum timens salutem et die noctuque in lege Domini meditari ». Conversi sic se salutant: « Fratri dilecto et amico speciali D. converso sancti Proculi, C. conversus sancti Damiani salutem et per bonum obedientie ad premium celestis magnificentie pervenire ».

LVIII.

Salutationes iudicantium.

« Multe sapientie ac discretionis viro domino P., legali et facundo iudici Mutinensi, iuris et facti peritia decorato » vel « tam iuris prudentia quam facti experientia redimito, A. iudex Bononie » vel « talis eius consanguineus » vel « amicus, salutem et in libra rationis sedere et singula sua

(1) de labore denarium V. P. O.

(2) agentium V.

iudicia trutinare » vel « salutem et in omni suo iudicio matrem veritatis inviolabiliter conservare », vel « salutem et cum misericordia per semitam iustitiae ambulare ».

LIX.

De largis pariter et avaris.

« Viro nobili et plurimum curiali D. Domicello ubique propriis meritis honorando Tuschus de Gratia (de) Asinellis (1) salutem et gratis promittere, ac gratis digne postulantibus elargiri » vel « tali prelato, clero « aut laico » talis salutem et matrem omnium virtutum consulere largitatem » vel « salutem et patientibus necessitatem largitatis dexteram aperire ». Avarus sic potest salutari : « Tali talis salutem, et non numerorum copiam, sed morum venustatem optare » vel « salutem, et non denariorum multitudinem, sed maiestatis altitudinem adorare » vel « salutem et a cultu divertere idolorum » vel « salutem, et non pro lucro burse, sed ad profectum anime ieunia frequentare ».

LX.

De mercatoribus et agricolis. (2)

« Dilecto (3) amico suo tali mercatori, L. salutem et de mercimoniis multiplicatum colligere capitale » vel « salutem et semper lucrum consequi peroptatum »; vel « tali agricole talis ville, burgi, vel vici, (4) talis salutem et ubertatem vini » vel « ipsius oves in fetibus abundare » vel « salutem et tantis abundare successibus, quod ei universitas invideat vicinorum » vel « salutem, et campis et pratis

(1) Asinellis *om.* *VPO.*

(2) *Ad rustichos R.*

(3) et precordiali *add.* *R.*

(4) loci de villa burgo, vico, castro *R.*

culturam assidue adhibere » vel « salutem, et lactis ubertatem et vini et olei abundantiam infinitam ».

LXI.

In quo casu scribatur salutatio, et que verba intelligantur, et quare celentur.

Finaliter autem nota quod salutatio debet scribi per datum casum, et in tertia persona tantum; et pre nimio mentis affectu verbum in salutatione celatur, licet antiqui posuerint, ut ibi « Lucius Catilina mittit Quinto Cetego salutem ». Et in Ovidio: « Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulix ». Et in salutatione subauditur aliquod istorum verborum « mittit, mandat, legat, delegat, optat, cupit, desiderat vel affectat », vel aliud verbum quod ad mittendum pertineat, vel ad optandum.

LXII.

Que persone non debeant salutari.

Item nota quod non salutantur excommunicati, Saraceni, Iudei, vel Patareni, cuiuscumque secte fuerint dum tamen catholicam non sapient puritatem; sed loco salutis dicitur quod habeant spiritum consilii sanioris hoc modo: « Gregorius episcopus, servus servorum Dei potenti viro Saladino » vel « tali, in errore iudaico » vel « pravitate manenti, ad fidei cognitionem venire » vel « derelictam assumere disciplinam » vel « tali excommunicato spiritum consilii sanioris, » vel « pre oculis semper Dominum habere » vel « declinare a malo, et facere bonum » vel « ad viam veritatis redire », vel « tali Speroniste » vel « tali Donatiste » vel « Leoniste » aut « in tali secta moranti, ad cor unitatis redire^{et} et viam veritatis repetere festinanter ». Item non salutantur inimici manifesti, ut dictum est, sed aliquid ponitur salutationi contrarium. Exemplum: « G. Dei gratia comes Panici D. solo nomine comiti de Casalecclo pro salute nrorem ». Vel aliter: « F. Dei gratia Ro-

manorum rex, et semper augustus Othoni persecutori ecclesie incidere in laqueos quos tendit ». vel « iram Dei sustinere quantum suis operibus invocavit ».

LXIII.

Quando salutatio in epistola non ponatur.

Item quandoque non ponitur salutatio in epistola vel in litteris de licentia datis et in litteris dimissoriis, commendatitiis et generalibus. Exemplum: « Nos A. potestas Bononie damus licentiam etc. » vel: « Noverint omnes presentes litteras inspecturi » vel: « Sciant, cognoscant » vel « noverint omnes ad quorum audientiam littere iste pervenerint etc. ». Item salutatio reticetur quando sribentes secreta timent et nolunt cognosci si epistola caperetur, ut puta cum de proditione vel furto vel morte vel aliqua re turpi tractatur; vel quia clericus in dignitate, vel rector in officio positus forte scribit alicui mulieri, et tunc per occulta signa debet proprium nomen sub imagine representare, vel incipere ab ipsa narratione, ut illud Ovidii « Nunc oculos tua cum violarit epistola nostros, non respondendi gloria visa levis ».

LXIV.

De iis que sunt in salutatione ponenda, scilicet nominibus personarum et locorum ac etiam dignitatum.

Item nota quod nomen loci, nomen persone, nomen mittentis, nomen dignitatis vel officii debet semper in salutatione apponi. Exemplum: « Petro iudici mutinensi » vel « Martino archidiacono Bononie I. salutem ». *Petrus*, ecce nomen persone; *iudici*, nomen officii; *archidiacono*, nomen dignitatis; *Bononie* nomen loci.

LXV.

Quot modis nomen proprium in epistola taceatur.

Proprium nomen quatuor de causis in salutatione tacetur. Primo cum non persone, ut supra diximus, scribitur, sed potius dignitati. Secundo quando proprium nomen ignoratur. Tertio quando scribitur duobus equalibus, ne pro prima positione nominis posterior indignetur; et in his casibus dignitas vel officium nominis supplet defectum. Quarto nomen tacetur propter confusionem vitandam, ut cum scribitur populo vel societati, aut alicui multitudini.

LXVI.

De sublimibus personis.

Item, ut appropriare scias cuilibet quod suum est, nota quod papa et imperator debent dici superillustres; in clero, primates et patriarche illustres vocantur; episcopi dicuntur clarissimi: metropolitani quoque vel archiepiscopi spectabiles nuncupantur. In laicis vero illustres sunt reges provinciarum, prefectus urbis, presides, conscripti patres et alme urbis senatores; spectabiles autem dicuntur duces, comites et marchiones: clarissimi vero sunt barones et valvassores et consules civitatum.

LXVII.

Circa que religio, pietas et quedam alias habeantur.

Item sciendum est quod religio in Dei cultu, pietas erga patrem et consanguineos, officium erga consortes eiusdem nature, obsequium erga patronos, famulatus dominis, obedientia prelatis et reverentia maioribus debetur. Item nota quod omnis orator ista debet considerare: ordinem construendi,

appositionem verborum, intellectum locutionis, mores hominum, consuetudines terrarum, et satisfacere voluntati mittentis. Item diligenter debet querere, subtiliter, et videre que sit persona mittentis, ut dictum est, et que recipientis, et que sit fortuna et condicio utriusque, et quod talis sit materia quod ipsius verba illi convenientia littera destinatur.

LXVIII.

Incipit de exordio.

Viso de salutatione que precedit, sequitur videre de exordio quod statim debet sequi. Exordium sic a Tullio diffinitur: « Exordium est principium orationis, per quod animus auditoris vel iudicis constituitur ad audiendum »; vel « exordium est sermo preambulus ad dicenda ». Et nota quod exordium tria facit; nam reddit auditorem docilem prelibatione materie; benivolum, cum dicit circumstantias rerum et merita personarum; attentum, cum utilitatem tangit, magnitudinem denotat, vel negotii qualitatem.

LXIX.

Unde dicatur exordium.

Dicitur autem *exordium* ab *exordior*, *exordiris*, quia proprie in exordio, idest in principio debet poni; potest autem in medio et in fine poni. In principio sic ponitur: « Tali prelato talis subditus seipsum. Eius liberalitas est precipue commendanda, qui priusquam sibi precum instantia porrigatur digno beneficio respicit indigentem. Inde est quod vestra bonitas digna laudibus debet non immerito revereri, que suos fideles misericorditer inspicit oculis pietatis ». In medio potest exordium sic aptari: « Talis prelatus A. subdito salutem. Peccasti graviter, sed de misericordia non desperes: quoniam qui vult satisfacere de commissis peccatori venia promittitur Salvatoris: nec tibi ecclesia claudit gremium redeunti. Sed

super conversione peccatoris gaudium est angelis in excelsis ». In fine sic exordium potest poni: « Si vere scentie cupis acquirere margaritam, peccatum fugias et consortia malignorum; nam cuius mens est vitiorum tenebris offuscata, non potest splendere sapientie luminari ». Item nota quod exordium in tertia persona fit, et in finali sillaba convenire, et penultima discrepare debet. Exemplum: « Magister Guido ubique diligitur, quia sua dictamina comprobantur ». Ecce quater *diligitur* in *tur* desinit, et penultima, hoc est *gi* breviatur; et similiter *comprobantur* in *ntur* finitur, sed penultima producitur. Item si in vocalibus distinctiones desinant, vel in aliis consonantibus terminentur.

LXX.

De arenga et differentia eius et exordii.

Arenga est quedam prefatio que ad benivolentiam captandam premittitur et ornatum, qua utuntur (1) Lombardi et ecclesia Romana in suis epistolis et loqueliis. In hoc plane concordat exordium et arenga, quod utrumque debet preponi taliter et aptari, ut narrationi cohereat et procedere videatur a causa. Sed in hoc discrepant, quoniam arenga non tantum personam tertiam sed primam recipit et secundam. Hoc exemplum videoas in decretalibus: « Quanto te novimus in canonico iure peritum, tanto fraternitatem tuam in Domino commendamus, quod in dubiis questionum articulis ad apostolicam sedem recurris, que disponente Domino cunctorum mater est fidelium et magistra ».

LXXI.

Sequitur de proverbio.

Proverbium est oratio sententiam continens ante productam, vel consuetudinem approbatam. Exemplum: « Mus,

(1) maxime add. P.

vipera, ignis in sinu et serpens in gremio non prebent suis hospitibus munera gratiosa ».

LXXII.

Quid sit benvolentie captatio.

Benvolentie captatio idem est quod exordium. Potest autem sic diffiniri: « Benvolentie captatio est quedam laus, qua recipientis animus letatur et benivolus redditur mittenti ». Et nota quod semper benvolentia captatur, ubicumque aliquod verbum ponitur quod ad laudem recipientis pertineat et honorem.

LXXIII.

Quid sit narratio.

Narratio, ut a Tullio diffinitur, est rerum gestarum vel proinde ut gestarum expositio. Verbi gratia *rerum gestarum* cum dicitur: « Scias quod Petrus dedit B. archipresbitero x lib. et factus est canonicus Ymolensis » vel *proinde ut gestarum*, ut si dicam: « Petrus factus est canonicus talis loci simoniaca pravitate ». Et nota quod narratio debet esse brevis, dilucida et probabilis; nam, ut ait Tullius in secundo Rethoricon in primo libro, quo brevior, eo dilucidior et faciliior cognitu narratio fiet. Brevis est, cum verbis tantum necessariis expeditur. Lucida est, cum usitatis significationibus, rerum ordine servato, et non longo circuito res monstrantur. Probabilis est si morem sectetur, opinionem referat, et sicut natura postulat exponatur.

LXXIV.

Quid sit petitio, et qualis esse debeat.

Petitio est oratio per quam petimus quod iustum sit, utile, necessarium et honestum, ut si petam quod mee saluti consulas et honori. Circa petitionem honestam ista debent at-

tendi: que sit persona petentis et que illa a qua petitur, temporis qualitas, loci dispositio et habilitas dictatoris; et sic est ex precedenti narratione sumenda, ut cum ratione colligat supradicta.

LXXV.

Qualiter partes epistole disponantur.

Primo debet salutatio poni, quia, nisi premitteretur, non posset sciri de quo dictator narraret. In secundo loco debet locari narratio, quia nullus sciret quare salutatio precessisset, nisi narratio revelaret. Tertium locum sibi debet petitio vindicare, quia petentis intentio nesciretur, nisi post narrationem aliquid sub petitionis specie poneretur.

LXXVI.

*Quomodo epistola possit fieri de aliqua parte eius,
et de qua non possit fieri.*

Potest autem constare epistola, licet quodammodo imperfecte, de qualibet parte epistole: ex sola quidem narratione, ut: « Noveritis quod Bononie sanus et incolumis persevero per Dei gratiam atque vestram, quod audire de vestra persona desidero animo sitibundo, cum vos diligam, et omnia que sunt vobis novit Dominus ad salutem ». Sed si gravis est animus auditoris vel materies odiosa, subito non debet peritus dictator ad narrationem accedere, sed a benivolentie captatione potius exordiri, ut reddatur auditor precabilis et negotii qualitas excusata. Item ex sola petitione potest constare epistola. Exemplum: « A vestra gratia postulo multa prece, ut inter vestros fideles subditos me dignemini computare ». Ex sola salutatione epistola stare non posset; quia, si dicerem « Petro Martinus salutem », hoc non esset epistola, sed titulus epistole. Verumtamen qui dicunt salutationem esse partem epistole, quodam modo superficialiter possent dicere, quod hoc esset epistola cum dicitur « Albertus Martino salutem et centum

solidos. ». Set talia non sunt de salutatione, sed in narratione ponuntur. Item ex solo exordio stare non posset, ut si dicam aliqui: « Qui recte ieiunare desiderat, ab omnibus debet vitiis abstinere ». Hoc nihil esset, nisi aliud sequeretur. Item non potest stare epistola ex solo proverbio, ut si scriberem alicui sic dicendo: « Irasci columbam non vidimus, nec humanesero scorpionem ».

LXXVII.

Quid sit thema et quid materia.

His premissis, de themate videamus. Thema est factum in genere propositum; vel thema est brevis apertio dicendorum, per quam auditor loquentis intelligit voluntates. Exemplum: « Scias quod Bononienses contra Mutinenses exercitum iam fecerunt ». Restat videre quid sit materia. Materia est plena et artificiosa verborum ordinatio ex his que in themate assumuntur. Exemplum: « Sciatis quod Bononienses, amicorum vocata multitudine copiosa, contra Mutinam iverunt cum suo carrocio tam magnifice quam potenter, et in obsidione castri Baçani diutius commorantes ad propria sani et incolumes sunt reversi, sed nec ipsum expugnare castrum, nec aliquam habere victoriam potuerunt » (1).

LXXVIII.

Quomodo inveniatur, disponatur et ordinetur oratio.

Dictator sagax debet esse, diligens et discretus ad inveniendam materiam suo ingenio congruentem, iuxta illud Horatii « Sumite materiam vestris qui scribitis equam »; et postquam invenerit, circa dispositionem laboret ut ordinetur sub verborum serie competenti, et postmodum ad colores procedat rethoricos quibus depingat eandem ornamento circumpon-

(1) Cfr. SAVIOLI, Annali bolognesi, vol. II p. 1.^a p.

sito, quasi quodam pallio et florifero tegumento: siveque debet scribentem ad loquendum inducere illi persone cui scribitur et littera destinatur, tanquam esset in sua presentia constitutus. Exemplum. Aliquis vult scribere suo domino vel amico ut possit a curia litteras impetrare. Qualiter simpliciter dicerebat, si personaliter in presentia sua foret? « Ego rogo dominationem vestram de qua multum confido, ut dignemini mihi adiutorium vestrum dare, ita quod in tali causa quam habeo cum Petro possim habere litteras a domino papa ». Ecce, habes materiam: recurre igitur ad dispositionem ipsius hoc modo: « Dominationem vestram, de qua gero fiduciam plenioram, humili prece rogito incessanter quod mihi vestre liberalitatis et gratie taliter dignemini subsidium impartiri, quod in tali causa, vestra potentia faciente, litteras apostolicas impetrare valeam et habere ». Et ipse rogatus diceret: « Libenter faciemus quicquid tibi placuerit ». Ex quibus verbis debes responsivam colligere taliter et formare: « Facere cipientes » sive « gestientes que tibi debeant esse grata, sic tuo nuntio nostrum dedimus auxilium et favorem quod, secundum quod tua petitio requirebat, impetravit litteras utiles et benignas ».

LXXIX.

Quid sit sententia, et quid ad dictatorem pertineat.

Sententia est super iis que prius fuerunt dubia vel verisimilia interpretatio sapientis. Et licet principaliter ad iudicia descriptio talis pertineat, ad dictatores tamen competenter refertur, qui ad similitudinem iudicantium supersedent epistole faciende, interpretantur cum sapientia dictiones, condempnando vitiosa verba, dubia, verisimilia et configurata (1), et ponendo que ad bonam sententiam faciunt et sanum retinent intellectum. Exemplum vitiosum, puta, cum de aliquo sapiente dicitur: « Ad vestram prudentiam platee currunt, et veniunt civitates tanquam ad illam personam quam diligo, prout scitur, que for-

(1) figurativa P. V. O.

titudine multa prepollet et coruscat cingulo glorie militaris ». Iudicetur hec locutio vitiosa, et talis locutio debita verba querat hoc modo. « Ad vestram prudentiam, quam diligo puro corde, recurro necessitatis tempore confidenter, velut ad portum ad quem venientes sperata gratitudine non privantur ».

LXXX.

*Quid sit distinctio, et unde dicatur,
et qualiter distinguere debeamus.*

Distinctio est quedam cuiuslibet clausule particula, que quandoque puncto plano, quandoque suspensivo terminatur, vel debet rationabiliter distingui et terminari. Et dicitur *distinctio* a *distinguo, distinguis*, quia distinctiones ita debet in sua epistola distinguere dictator, quod nulla ex earum conculcatione generetur ambiguitas in animo auditorum.

LXXXI.

De punctis et virgulis et regulis eorum.

Punctum est signum distinctionum locutionis et recreatio spiritus fatigati: etiam est punctum aliud *suspensivum*, vide-licet quod cum virgula scribitur infra ducta (1); aliud *medium* ut in colo; aliud *comprehensivum* litterarum, quando circum-scribitur littere que (2)(pro) proprio nomine ponitur; et non refert utrum unum coma vel colum aut plura periodum antecedant; de quibus adhuc dicam apertius per exempla.

LXXXII.

Quid sit clausula, et quot distinctiones continere debeat.

Clausula est quedam cuiuslibet tractatus particula que ad minus duas et ad plus septem distinctiones continet, ne obscuritas

(1) vel circumflexa *add. P.*

(2) non proprio nomine ponitur *P.*

generetur. Exemplum: « Illius gratia communi iudicio commendatur, que singulis poscentibus ostendit se benivolam et exhibet liberalem ». Exemplum de septem, ut in corrupta que de virginitate amissa conqueritur isto modo: « Heu dolor indeficiens, et o quanta sunt mihi suspiria et lamenta! cum tempus virginitatis amisisse me recolo atque diem; quia prius eram formosa ut lilium, et in conspectu Dei et hominum pulcherrima sicut rosa fulgebam, et continentie virtute coruscans quasi filia dici poteram angelorum: sed postquam defloravit me virilis amplexus, perdidi suavitatem odoris, facta sum natura fragilis et corpore vitiosa, et poma convallium inter spinas et tribulos ceciderunt ».

LXXXIII.

De punctis et distinctionibus.

Licet supra quid sit distinctio descripserimus, tamen indubitanter scias quod distinctio idem est quod punctum, et ubicumque punctum est, ibi distinctio iudicatur: unde nota quod tres sunt distinctiones et puncta, secundum que omnis scriptura distinguitur et punctatur. Prima dicitur *coma*, et est coma particula sensus decisa; secunda *cola*, et est cola punctum in quo auditor quiescit, licet aliquid addi possit: tertia est *periodus*, et est periodus punctum in quo requiescit tam recitans quam auditor. Coma scribitur cum virgula superius ducta, ut in hoc exemplo: « Tue dilectioni facere cupiens que sint grata ». Cola cum punto sine virgula designatur, ut in hoc exemplo: « Tibi x lib. imperialium destinamus ». Periodus autem cum punto et virgula inferius ducta describitur, ut in tali suppletione dicti exempli: « ad omnem tua indigentiam repellendam ». Et dicitur *periodus aperi*, quod est *circum*, et *oda* quod est *laus*; inde periodus, idest punctum finale vel laus que in fine canitur.

LXXVIX.

De ordine naturali et artificiali.

Cum autem auri nitor vel metallorum fulgor per se tamquam insufficiens ad operis venustatem docti requirat artificis peritia decorari, premisso regularum documento, stilum ad artificialiē ordinem convertamus. Unde nota quod in constructione duplex est ordo, scilicet naturalis et artificialis. Naturalis est ille qui pertinet ad expositionem, quando nominativus cum determinatione sua precedit, et verbum sequitur cum sua, ut « ego amo te ». Artificialis ordo est illa compositio que pertinet ad dictationem, quando partes pulcrius disponuntur; qui sic a Tullio diffinitur: « Compositio artificialis est constructio dictionum equabiliter perpolita ».

A. GAUDENZI

(continua)

GUIDONIS FABE SUMMA DICTAMINIS

(Continuazione e fine da pag. 287, Parte I).

LXXXV.

De pulcritudine epistolarum et venusta vel inepta dispositione verborum.

Nota quod prepositio potest removeri a suo casu proprio (1) mediante genitivo, ut « de Guidonis bonitate confido ». Non tamen bene diceretur « bonitate loquor de Guidonis »; nec si alias casus interponitur valet, ut si dicam « de Guidone forte diligente confido »; sed recte posset determinatio interponi, ut « de vestra confido non modicum (2) bonitate (3) ». Item verborum transpositio turpis et incongrua confugiatur, ut ibi « omnis caput habet homo ». Non est enim alicuius ornatus pretextu deformis transpositio facienda, ut si dicam: « Vestre de servitiis mihi factis quantascumque possum gratiarum actiones uberes et immensas referto bonitati ». Vides qualiter hoc adiectivum « vestre » confunditur ex nimia distantia subiecti;

(1) proprio *P.* prime *O.*

(2) modica *O.*

(3) liberalitate *R.*

sic tamen distare poterit competenter: « Honestate conspicuus, sapientie luce perfectus ad honorabiles dignitatum gradus debet clericus promoveri »; quod non multum laudo.

LXXXVI.

Qualiter dictiones nimis celeres cum tardis debeant commisceri.

Item dictiones nimis celeres magnam deformitatem inducunt. Exemplum: « Illius ieunia ad nihilum proficiunt, qui vitiis deditus, se minime corrigit ». Item dictiones nimiam tarditatem habentes, cursum impediunt et ornatum. Exemplum: « Vitiorum purgationem requiriti ieuniorum sacratus adventus ». Sed pulcrum est, quod celeres dictiones et tarde invicem misceantur. Exemplum: « Illa corporalis abstinentia commendatur, in qua et cibus pro parte subtrahitur, et vitia penitus removentur ».

LXXXVII.

De alia pulcritudine.

Item ad summam pertinet venustatem ut, quotiens potest fieri sententie gravitate servata, (1) nominativi et obliqui sequantur, et verba nunc primum, nunc medium, nunc ultimum locum debeant possidere. Exemplum: « Dabuntur in nimiam egestatem divitie temporales ». Item ad pulcritudinem et ornatum dignoscitur pertinere, ut relativum coniunctione non indigens suum preveniat antecedens. Exemplum: « Qui penitentiam non egerit in presenti, peccatori venia negabitur in futuro ». Item ad magnam pertinet venustatem, ut relativum nullo mediante iuxta suum verbum ponatur. Exemplum: « In errorem non de facili labitur qui metitur (2) rerum exitus sapienter (3) ». Item est alia pulcritudo laudabilis, ut sine coniunctionis suffragio duo verba personalia clausulam de-

(1) *Codd. add.* quod.

(2) meditatur?

(3) diligenter R.

beant terminare. Exemplum: « Celestis pietas, dum peccatores corrigit, consolatur, et eorum qui ceciderunt miseretur ». Item pulcherrimum artificium inculcatur, ut duo verba in duo casualia transeant, et idem adiectivum utrique conveniat et suppositum verbis (1) reddatur. Exemplum: « Nimium transitiorias mundus iste infelix, et divitias cumulat et diligit dignitates ».

LXXXVIII.

De cursu qui debeat hodie observari.

Nota quod pulchiores dictiones locari debent in principio et in fine: medium vero locum teneant minus digne; nec ad tam nobilissimum edificium omnes dictiones indifferenter sumantur, sed ille dumtaxat accendant, que maiores verborum et sententiarum pariant venustatem. Nec finem usurpare presumant aliisque dictiones nimia longitudine vel brevitate deformes. Attende igitur, dictator (2), quod taliter ad ornatum dictiones debes in distinctionibus ordinare: nam si finalis dictio fuerit trisyllaba cum penultima longa, precedens dictio suam penultimam longam prestet. Exemplum: « Contagione delictorum purgata, gratia celesti donante, munera virtutum aderescant »; vel sic: « Qui doctori mercedem non exhibet, avaricie tenacitate sordescit ». Item si brevis fuerit penultima, et in precedenti dictione penultima breviatur. Exemplum: « De alto corruit Lucifer, qui coequari (3) voluit Domino ». Si vero tetrasyllaba dictio fuerit finitiva, cuius penultima sit acuta, tunc suam penultimam corripiat antecedens. Exemplum: « Qui digne Deo militare desiderat, negotiis non debet secularibus implicari ». Quod si penultima sit correpta, precedentis partis penultima prolongatur. Exemplum: « Non est ieunium commendandum, quod elemo-

(1) verborum *R. P.* verbi *O.*(2) o lector *O.*(3) exequari *R.*

sinis carere dignoscitur »; vel sic: « Longe distat a tramite rationis, qui honestum se reputat avaritie dehonestatus rubigine ». In periodo vero datur regula singularis, quia semper debet esse dictio quatuor sillabarum, cuius penultima sit acuta. Exemplum: « Privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate ».

LXXXIX.

De consillabicatione.

Item, ad habendam copiam dictionum que secundum regulam prenominatam in distinctionibus finitivis requiruntur, nota quod bisillabe dictioni consillabicatur monosyllaba in hunc modum: « Illud ieiunium divinis auribus est acceptum, quod eleemosynarum pietate non vacat ». Item consillabicantur due bisillabe, et fit dictio quatuor sillabarum; item una monosyllaba et trisyllaba, et efficitur tetrasyllaba (1) isto modo: « Pro salute gentium animam suam debet ponere bonus pastor », et « Pro tuenda iustitia sapiens se opponere non formidet ».

LXXXX.

De signis post exordia.

Nota quod ista signa congrue secuntur exordia, et in principio narrationis ponuntur « hinc, inde, igitur, itaque, ergo, sane, nimirum, equidem, siquidem, ideo, idcirco, proinde, quare, nam, namque », et similia. Exemplum: « Ad amicum secure configitur, de cuius gratia nullatenus dubitatur. Hinc est, etc. », vel « Proinde est (2), quod amicitiam vestram de qua plene confidimus exoramus etc. »

(1) trisyllabe et efficitur tetrasyllaba V. trisyllabe efficitur tetrasyllaba O,

(2) et cet. *add. codd.*

LXXXI.

De signis petitionum.

Item nota quod ista sunt signa petitionis « eapropter, quapropter, cuius rei causa, quamobrem, hinc est, profecto, verum quia, quocirca, qua de re, quare, ergo, igitur, itaque, idecirco, unde, hinc est, proinde est, ideo » et similia. Et post primam distinctionem petitionis in principio sequentis distinctionis debet sequi « quatenus » vel aliqua alia coniunctio adiunctiva, sequente modo similiter subiunctivo. Exemplum: « Quare dominationi vestre supplico quantum possum, quatenus me vestrum famulum habere dignemini commendatum ».

LXXXII.

De signis divisivis.

Item valde utile et necessarium est unum significatum ab alio scire dividere ut, cum plura dicis diversa, signa convenientia (1) ponas; et sint ista « ad hoc, preter hoc (2), preterea, insuper, super eo, vero », et similia. Nam sicut humanum genus per dominos et potestates regitur, sic dictiones per sua capita, idest signa, in epistola ordinantur.

LXXXIII.

De brevitate dictaminis.

In dictamine labora esse brevis, et videoas ne sis obscurus. Brevitas est, in qua nullum nisi necessarium assumitur verbum.

(1) congruentia *O.* competentia *V. P.*

(2) ad hec, preter hec *P. V.*

LXXXIV.

*De participiis: quomodo ponantur, punctentur
et construantur.*

Nota quod dictatio debet sollicite inspicere a quo verbo regatur participium, quod in suo dictamine duxorit apponendum. Item nota quod participium semper debet poni in eadem clausula cum suo verbo a quo regitur. Item nota quod inter participium et verbum a quo regitur, coniunctio vim copulandi habens vel vocem aut etiam intellectum, cadere nunquam potest, cum participium in se copulam habeat interclusam; sed participio verbum adiungas, ut « legens disco » idest « lego et disco ». Item nota quod quando participium regitur a verbo precedenti, semper punctum ante participium facias suspensivum. Exemplum: « Existo Bononie, circa studium litterarum facturus quod ad tuum honorem debeat pertinere ». Si vero a verbo sequenti regitur, ante participium debet fieri punctum planum. Exemplum: « Existo Bononie circa studium litterarum. Facturus itaque quod tibi debeat complacere, te rogo puro corde ut secure petas si qua possum facere tibi grata ». Item nota quod participium ex parte appositi constructionem semper retinet sui verbi, unde, sicut bene dicitur « Amo Platonem » ita bene dicetur « Sum amans Platonem ». Item nota quod participium debet esse eiusdem numeri et persone cum verbo a quo regitur, ut « Legens proficio ».

LXXXV.

Quando proprium nomen ab hoc ablativo « NOMINE » terminetur, et quando dicitur « DE RE PREDICTA » vel « DE IPSA RE ».

Item nota quod illa propria nomina debent tantummodo per istum ablativum « nomine » terminari, que ad appella-

tionem aliquam trahi possunt: ut cum dico « mitto ad vos latorem presentium nomine Benedictum »; nam posset dici « Benedictum » tantum. Hoc tamen fallit, quando signum particulare cum aliquo appellativo precedit proprium nomen, ut « quidam homo nomine Martinus »; nam male diceretur « quidam homo Martinus », propter repugnantiam substantivorum. Item nota quod, quando in una clausula fit mentio de aliqua re precedentis clausule, debet dici « memorata res » vel « predicta, pretaxata » vel « prefata, supradicta, prelibata, sepe dicta, nominata » vel « ante dicta ». Si autem fiat mentio de re eiusdem clausule, non ponas talia nomina, sed recurre ad relativum, dicens « de ipsa re » vel « pro re ipsa » vel « de re illa » vel « de re eadem ».

LXXXVII.

De regulis occurrentibus in dictamine.

Item nota quod isti duo genitivi « harum » et « presentium » sunt talis nature, quod senper comprehendunt in se istud substantivum « litterarum », nec debet poni, immo causa ornatus taceri, quod non contingit in aliis casibus eiusdem condeclinii. Item nota quod non debet aliquis calumniari locutionem illam, quam usus et consuetudo probavit. Item nota quod si ceuma in oratione veniat, adiectiva dictio cuius gratia fit ceuma, sive sit nomen sive sit verbum, concordari debet cum proximiiori, ut « Socrates et Berta est alba — E. (1) et Plato currit ». Item nota quod si occurrant in oratione conceptio, masculinum concipit femininum ut « vir et mulier sunt albi »; et neutrum concipit illa duo, ut « mancipium, vir et mulier sunt alba ». Tamen neutrum non concipitur a masculino, unde male dicitur « vir et mancipium sunt albi »; nec femininum concipit neutrum, unde male dicitur « mulier et mancipium sunt alba ».

(1) *Codd.* Ego.

LXXXXVII.

Qualiter epistole corrigantur.

Item nota quod in dictamine semper debemus uti verbis propriis, vel ad aliam similitudinem decenter translatis, ut « pratum ridet » et « litus aratur ». Item nota quod in verbis prime et secunde persone intelligitur certus et determinatus nominativus, unde non debet in epistula poni pronomen prime vel secunde persone nisi causa discretionis ut « vivo ego, dixit dominus »; vel causa determinationis faciende, videlicet quando plures sumus qui scribimus vel mittimus, et ego solus volo aliqua specialiter dicere et singulariter declarare.

LXXXXVIII.

De verbis transmissivis.

Nota quod « destino, mitto » et omnia verba transmissiva, si post se accusativum recipiunt rationabilem rem denotatam, alium accusativum semper exigunt cum prepositione ut « mittam nuntium meum ad te ». Si vero accusativus ille aliam rem denotat a rationabili, semper sequi debet dativus casus, ut « mitto C. solidos tibi » et non « ad te ».

Item nota quod cum uni dicimus « vos » causa honoris, si dictio sequens est adiectiva significatione, tamen debet poni tatummodo in singulari numero ut « vos estis pater meus, adiutor meus, dominus meus et benefactor meus ». Si vero est adiectiva voce et significatione, et participium sive mediate sive immediate veniat cum substantivo, debet poni tantum, plurali numero, ut « vos estis legentes », et « vos legentes perficitis ». Si vero est nomen, et immediate veniat cum substantivo, semper debet poni plurali numero, ut « vos albi curritis ». Si vero mediate veniat adiectivus cum substantivo, potest poni in singulari et in plurali ut « vos estis albus », et « vos estis albi ».

LXXXIX.

De origine, possessione et significatione quorumdam verborum.

Item nota quod si proprium nomen sequitur aliqua determinatio que sensum habeat vulgaris articuli genitivi, determinatio debet sequi in ablativo casu, mediante prepositione, ut « Martinus de Bononia, Petrus de Mutina ». Si autem est appellativum, et vis denotare possessionem, debes ponere genitivum, ut « Martinus iudex Bononie ». Si vis notare originem, tunc cum prepositione ablativus ponatur ut « Martinus miles de Ferraria, Iohannes iudex de Baçano ».

Item nota quod *extorquere* ad bonum ponitur, ut « quicquid honoris subiectis inpenditur, in dominorum gratiam retorquetur »; ad malum quasi semper: nam *extorquere*, hoc est *ab invito exigere*. Item *redundare* ponitur ad bonum, ut in decretalibus « Tua legatio ad honorem et commodum sedis apostolice redundabit »; ad malum sepius et proprius ponitur, ut « pena redundabit in caput tuum ».

C.

Qualiter hoc verbum DUXI cum participio degenerante in nomen ponatur.

Nota quod hoc verbum « duxi » si ponatur cum participio desinente in *dus* degenerante in nomen, quod descendat a verbo habente constructionem ad accusativum, tunc recte venit et congrue ponitur. Exemplum: « Duxi vestram gratiam suppliciter exorandam, rogandam, flagitandam, monendam, deprecandam, confortandam ». Si vero tale participium degenerans descendat a verbo habente constructionem ad dativum, tunc hoc verbum « duxi » male et incongrue ponitur cum eodem. Exemplum: « Duxi vestram gratiam, dilectionem, amicitiam »

vel « benivolentiam supplicandam » vel « consulendam » Sed potius recurratur ad gerundum et constructionem ipsius, ut « duxi vestre gratie consulendum » vel « amicitie suppli-
candum ».

CL.

De resolutione verbi in participium.

Item nota quod quando tibi occurunt duo verba eiusdem persone, alterum illorum ornatus de causa est in participium resolvendum: exemplum « lego, dispuo »; converte unum in participium, et sic dicas: « Legens dispuo » vel « disputans lego »; « veniam et faciam »: converte vel resolve alterum: « Veniens faciam » vel « veniam fa-
cturus quecumque de tua fuerint voluntate » Quod si tria
tibi occurant (1) dicenda, pone verbum unum et duo parti-
cipia copulata. Exemplum: « Existo Padue studens pro vi-
ribus et intendens iis que tibi debeant complacere ». Et hoc
locum habet quando ambo participia vel precedunt verbum,
vel etiam subsecuntur. Si vero in medio duorum participio-
rum verbum ponatur, coniunctio intervenire non potest;
quia cum sit copulativa similium naturarum, duo participia
simul posita unum quorum venit respectu alterius recte co-
pulat (2): sed cum verbum cadit in medio, tunc secundum
participium non venit in locutione respectu primi, sed potius
respectu verbi, et ideo non debet intervenire copula, quia ver-
bum et participium copularet. Exemplum. « Studens pro vi-
ribus existo Bononie, intendens iis que tibi utilia sint et grata ».
Si vero quatuor vel plura petere debes vel declarare, tunc
recurre ad verba, participia, gerundia et per ablativos ab-
solutos hoc facias diligenter. Exemplum: « Receptis litteris
et plenius intellectis, quas mihi nuper tua dilectio destinavit,
tibi deservire desiderans toto posse, cogitansque quod mihi

(1) verba add. P.

(2) copulant V.

ad opprobrium pertineret si id pro quo veni Vercellas laudabiliter non complerem, studeo diligenter, aquam de fontibus theologie iuxta parvitatis mee modulum hauriendo pectore sitibundo ».

CII.

De relativis et antecedentibus.

Item nota quod relativum positum in una epistola nunquam debet (1) referri ad antecedens in alia epistola positum. Exemplum: ecce aliquis significavit mihi quod Faventiam venerat, ubi me desiderabat videre, et ego rescribo: « Quia cupitis me videre, ad illam veniam civitatem ». Item nota quod quando in epistola duo vel tria ponuntur antecedentia, cum relativo est alterum adsumendum. Exemplum: « Martinus et Petrus ad te veniunt. Unde ipsi Petro tale quid facias meis precibus et amore ». Aliud exemplum: « Petrus promisit Martino unam loricam quam ipse vellet ». Si non reassumas (2) antecedens, dubium esset qualem ipsorum, Petrum vel Martinum, intelligere debeamus.

CIII.

De correlativis et epistolarum urbanitate (3)

Item nota quod quando vis correlativum reddere relativum, hoc facere debes per suum consimile, reddens ad hanc dictionem « tantum », hunc terminum « quantum », ad « tanto », « quanto », ad « eo » « quod », ad « quoniam » « ideo », ad « quia » « idcirco », ad » totum » « quotum », ad « talem » « qualem » et cet.

(1) potest vel debet *P.*

(2) reaffirmes *P.*

(3) De correlatione *R.*

Item nota, quod summa urbanitas est rethoricorum colorum flosculis dictamina purpurare, et circumvallare proverbiis sapientum, et maiorum doctorum auctoritatibus insignire; nec alicuius urbanitatis pretextu auctoritatis verba debes transponere vel mutare. De quibus breviter snponamus.

CIII.

De ornatu orationis et coloribus rethoriciis.

Ornatus orationis elegantia, compositione ac dignitate conficitur. Elegantia facit orationem latinitate puram et explanatione conspicuam; latinitas barbarismum et solecismum relegat. Explanatio verbis usitatis et propriis, seu competenter aliunde translatis reddit orationem lucidam et apertam. Compositio efficit omnes partes orationes equabiliter perpolitas, cuiuslibet inconcinnitatis vitiis relegatis. Dignitas est que orationem quarumdam exornationum varietate colorat. De quibus sub compendio videamus.

CV.

Quid sit repetitio.

Repetitio est cum plures orationes continue ab eadem incipiunt dictione, hoc modo: « Liberalitas confert famam, liberalitas placat Dominum, liberalitas dat honores ».

CVI.

De conversione.

Conversio est cum plures orationes continue fine simili terminantur, videlicet hoc modo: « Se ipsum odit avarus in mundo nil est scelestius quam avarus ».

CVII.

De complexione

Complexio utramque continet predictarum hoc modo: « Quis liberabit nos de manu hostis? Christus. Quis pro nobis apud Patrem continuo intercedit? Christus. Quis est venturus ad iudicandum omnes? Christus. Quis ergo super omnes est timendus et amandus? Christus ».

CVIII.

Quid sit traductio.

Traductio est, per quam idem verbum crebrius repetitum in varias significationes traducitur, hoc modo: « Reddat tibi Deus valetudinem, quia valetudinem pateris nimis gravem ».

. CVIII.

Quid sit contentio.

Contentio est, cum diversis rebus oratio conficitur hoc modo: « Diabolus superbis hominem superbientem seduxit ad mortem, Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam ».

CX.

Quid sit explanatio.

Explanatio est, que per interpellationem alicuius indignationem conficit aut dolorem hoc modo: « Pater tradidit filium suum pro nobis, quem vos, o Iudei, morte turpissime condemnastis; et tamen hoc peccatum vobis non statui ipse misericors postulavit ».

CXI.

De ratiocinatione.

Ratiocinatio est, cum a nobis ipsis poscimus rationem quare quidve dicamus, hoc modo: « Si maiores nostri aliquam mulierem unius peccati dampnabant, plurium convictam simili iudicio reputabant. Quo pacto quia impudicam credebant, eam quoque beneficam extimabant? Quia multis consuevit insidias emoliri que corpus suum addixerit voluptati ».

CXII.

De sententia.

Sententia est idem quod proverbium generale, ut si dicam: « Is est vere libor qui nulli turpidini servit »; vel sic: « Vero bonus est, qui aliis prodest et nemini nocet, etiam iniuria lacessitus ».

CXII.

De contrario.

Contrarium est, quod ex duobus diversis alterum breviter affirmat, hoc modo: « Qui sibi nequam est, cui bonus erit? ».

CXIII.

Quid sit membrum

Membrum orationis est res breviter absoluta que, cum sententiam finit, alio rursus orationis membro excipitur, hoc modo: « Divitias multas habet, et divitiis non expletur ».

CXV.

Quid sit articulus.

Articulus est cese orationis per singula verba distinctio, hoc modo : « Hic pius, prudens, humilis, pudicus ».

CXVI.

De terminatione similium casuum.

Similiter cadens est duarum vel plurimum casualium dictionum sub eisdem casibus similiter terminatio, hoc modo : « Odit malitiam qui diligit iustitiam ».

CXVII.

De similiter desinentibus.

Similiter desinens est dictionum casu parentium similis exitus, hoc modo : « Hic docet, ille nocet. Hic sapit, ille rapit ».

Interdum isti colores miscentur hoc modo : « Quid facerem in tanto periculo constitutus? Pugnarem? Sed erat hostium multitudo robustior. Discederem? Sed locus munitissimus non sinebat ».

CXVIII.

Quid sit gradatio.

Gradatio est repetitio superioris verbi ante additum consequentis, hoc modo : « Quod libet licet, et quod licet impune facis ».

CXXVIII.

Quid sit diffinitio.

Diffinitio est que ipsius rei breviter complectitur potestatem, hoc modo: « Maiestas reipublice est, in qua civitatis amplitudo et dignitas continetur ».

CXX.

De correctione.

Correctio est que, primo sublato, id quod videtur, magis idoneum consequenter ponit, hoc modo: « Invidia plerumque bonos sequitur, immo nequiter insectatur ».

CXXI.

Quid sit ocupatio.

Ocupatio simulat se nolle dicere quod tamen maxime dicit, hoc modo: « Furtum quod olim fecisti non dicam, sed do perpetrato a te adulterio non silebo ».

CXXII.

Quid sit disiunctio.

Disiunctio est cum eidem supposito diversa verba redunduntur, hoc modo: « Christus carnem mortalitatis recepit, diabolum superavit, captivos ad libertatem reduxit, regnum vite cunctis fidelibus reparavit ».

CXXIII.

Quid sit coniunctio.

Coniunctio est cum verbum interpositum extremis clausulis est reddendum, ut: « Humilem sapientia reddit, sed pecunia superbum ».

CXXIII.

Quid sit adiunctio.

Adiunctio est quando verbum non interpositum primis clausulis redditur, et extremis prepositum est, ut si dicam: « Controversia iudici, sed medico vulnus placet ».

CXXV.

Quid sit conduplicatio.

Conduplicatio est geminatio unius dictionis vel plurium: « Fuit, fuit quondam in hac republica virtus! »

CXXVI.

Quid sit interpretatio.

Interpretatio est eiusdem sententie utilis repetitio, sed non vocis, hoc modo: « Iudei Christum crucifixerunt, filium Dei patibulo tradiderunt ».

CXXVII.

Quid sit commutatio.

Commutatio est, cum due sententie discrepantes ita comutantur, quod ad priorem posterior contraria priori deducitur; ut si dicam: « Virtus non provenit a dignitate, sed dignitas a virtute ».

CXXVIII.

Quid promissio.

Promissio, est cum voluntati alicuius nos ex toto subiicimus, ut si dicam: « De persona rebusque meis facite sicut placet ».

CXXVIII.

Quid dubitatio.

Dubitatio est, cum de duabus aut pluribus quid dicendum sit potius nos ostendimus dubitare, hoc modo: « Primus homo, nescio pater aut vipera nominandus, nos paradisi gaudiis spoliavit ».

CXXX.

Quid expeditio.

Expeditio est, cum multis sufficienter enumoratis unum infertur; ut si dicam: « Christus passus est vel causa sui, vel causa nostri: non causa sui, quia peccatum non fecit, igitur causa nostri ».

CXXXI.

Quid sit dissolutio.

Dissolutio est, cum singulis membris redditur suum verbum, nulla interposita coniunctione, hoc modo: « Succumbit vitium, virtus regnat, natura triumphat (1) ».

CXXXII.

Item quid sit precisio.

Precisio est inchoati sermonis imperfectio, ut si dicam: « Ista mulier sepe suum . . . ; tacebo tamen, ne dicam aliiquid me indignum ». Intelligitur autem « celotypavit virum suum ».

(1) Qui il copista del codice vaticano deve aver saltato una carta, giacchè seguita coi *Proverbi di Salomone*.

CXXXIII.

Quid sit conclusio.

Conclusio est, quando breviter colligendo infertur id quod provenit ex predictis, hoc modo: « Si reverendos igitur nequeunt facere dignitates, si ultiro improborum contagione sordescunt, si mutatione temporum splendere (1) desinunt, si gentium estimatione vilescent, quid est quod expetendum pulcritudinem in se habeat, nedum aliis prestet? » (2).

CXXXIV.

De decem exornationibus.

Decem exornationes que secuntur ab usitata verborum potestate recedunt, et quasi novam significationem inducunt; quarum prima dicitur nominatio, de qua primo videamus.

CXXXV.

Quid sit nominatio.

Nominatio est cum rem aliquam propter necessitatem non suo verbo nec alio idoneo nominamus, hoc modo: « Fragor civitatis auditur: iste fenerator a populo sibilatur ».

CXXXVI.

Quid sit prenominatio.

Prenominatio est acceptio grati vocabuli pro ingrato, vel e contrario, ut: « Recordare, Domine, patrum nostrorum A-

(1) *Codd.* splendore.

(2) *P.* expetende paleritudinis habent præstent.
O. expetende pulcritudinis habeant præstent.

braam, Ysaac et Iacob »; vel sic: « Videte quid agendum sit in filium Verris ».

CXXXVII.

Quid sit denominatio.

Denominatio trahit rationem a rebus finitivis et propinquis, ut « crux liberat vos a morte » idest « crucifixus ».

CXXXVIII.

Quid sit circuitio.

Circuitio rem simpliciter circumscibit, ut « Christus misericordia nos redemit » idest « Christus misericors ».

CXXXVIII.

Quid transgressio.

Transgressio permutat ordinem naturalem, quandoque in prepositione; et tunc vocatur *perversio*, ut « aures ad vestras »; quandoque in aliis partibus, et tunc vocatur *traiectio*, ut « tuam rogo amicitiam ».

CXXXX.

Quid superlatio.

Superlatio transgreditur veritatem, ut « tu es candidior nive, sermo tuus est dulcis ut favus mellis ».

CXLI.

Quid sit intellectio.

Intellectio est, cum pars pro toto accipitur vel e contrario, ut « anime filiorum Israel intraverunt Egyptum », id

est « ipsi filii Israel ». Item « hic situs est Petrus », id est « corpus ipsius Petri ».

CXLII.

Quid sit abusio.

Abusio est pro certo et simili verbo alterius verbi similis vel propinquai acceptio aliena, ut « vires hominis breves », idest « parve »; item statura parva », idest « brevis ».

CXLIII.

Quid sit translatio.

Translatio est de una re ad aliam ex quadam idonea similitudine alterius verbi iam inventi traductio, ut « pratum ridet » idest « floret ».

CXLIV.

De permutatione.

Permutatio est idem quod allegoria; hec enim aliud verbis et aliud sententia demonstrat, ut « David superavit Goliam » idest « Christus diabolum ».

CXLV.

De exornatione sententie.

Exornationes autem sententiarum sunt iste que secuntur. Non enim attingunt sermonem, sed solam rem, et inde continent (1) venustatem.

(1) contrahunt *P. O.*

CXLVI.

Quid sit distributio.

Distributio est negotiorum in plures res aut personas certa divisio, ut « beati pauperes spiritu, beati mites, beati qui lugent ».

CXLVII.

De licentia.

Licentia est quedam grata reprehensio in maiores, hoc modo: « Patientia vestra facit, ut quidam minus debite vos honorent.

CXLVIII.

Quid sit diminutio.

Diminutio est quedam sententie attenuatio causa maioris benivolentie captande, ut « Gregorius episcopus, servus servorum Dei »; vel sic: « Loquar (1) ad dominum meum: cum sim cinis et pulvis ».

CXLVIII.

Quid sit descriptio.

Descriptio est res consequentes perspicue dilucideque exponens, ut si dicam: « Si apostolicus negligenter egerit, a tyranno (2) ecclesia conculcabitur, et cunctis periculum imminebit, et tyrannus quasi leo rugire incipiet contra oves ».

(1) loquitur *P.*

(2) in tyrannidem *O.*

CL.

De divisione.

Divisio est, que rem partitur et partitam ratione absolvit, hoc modo: « Universe vie Domini sunt misericordia et veritas. In iudicio bonorum misericordiam et veritatem servat, quia beatitudo sanctorum partim est de distributione iustitie partim de munere gratie: in iudicio autem malorum veritatem solam, quia mali nullam sibi viam misericordie reliquerunt ».

CLI.

De frequentatione.

Frequentatio est, cum res in causa disperse coguntur in unum locum, hoc modo: « A quo tandem vitio abest iste? Proditor est sue pudicitie, insidiator alienae, cupidus, petulans, superbus, impius in parentes, ingratus in amicos, infestus cognatis, in superiores contumax, in equales fastigiosus, in inferiores crudelis, denique in omnes intolerabilis ».

CLII.

Quid sit expolitio.

Expolitio est cum in eadem sententia manemus, et aliud atque aliud dicere videmur; et hec exornatio valde facundum efficit dictatorem; ut si dicam: « Christianus pro virtute fidei nullum periculum vitandum putat; quare, si oportet, pro defensione fidei mortem subire debet ».

(1) ubique V.

CLIII.

De comminoratione.

Comminoratio est, cum sententiam in qua maior vis est diutius agitamus, et sepius ad eandem revertimur, ut si dicam « beati qui lugent », et hoc postea sepius repetatur, sicut faciunt predicatores sermocinando.

CLIII.

De contentione.

Contentio est per quam contraria referuntur, ut: « Vos lugetis, hic autem exultat » Est alia contentio circa exornationem verborum, de qua diximus; ut « superbis humilem, sed humilibus exhibes te superbum ».

CLV.

De similitudine.

Similitudo ad probationem sue cause aliquid verisimile elicit aliunde, ut: « Corpora Gallorum habent quoddam simile suis viribus (1), quod in primo impetu inchorescunt, sed ad calorem modicum citius dissolvuntur ».

CLVI.

De exemplo.

Exemplum est alicuius facti vel dicti preteriti cum certi auctoris nomine proposito ut: « Cave ne tibi accidat sicut Iude, qui sacramentum Dominici corporis in iudicium sibi sumpsit ».

(1) suis viribus *O.*

CLVII.

Quid sit imago.

Imago est forme cum forma digna collatio; ut « Christus tamquam ovis ad occisionem est ductus ».

CLVIII.

Quid effectio.

Effectio est corporalis forme per verba expressio; ut « David erat rufus, stature mediocris, et subcrispus ».

CLVIII.

Quid sit notatio.

Notatio est cum alicuius natura describitur certis signis, ut si dicam: « Iste iactanter defert annulum gemmatum » vel « demonstrat ».

CLX.

Quid sit sermocinatio.

Sermocinatio est, cum alicui persone sermo conveniens attribuitur, ut si Christus dicat: « Ego sum lux mundi ».

CLXI.

Quid sit conformatio.

Conformatio est cum nova persona vel res nominata introducitur ad loquendum, ut si terra dicat: « Ego sum magna parvus ».

CLXII.

Quid significatio.

Significatio est res que plus in suspicione relinquit quam sit positum in sermone, ut « iste cognovit quamdam abbatis-sam »: talis enim locutio est valde ambigua; vel sic « quid alienae domui feceris omnes sciunt »; sic enim significas quod sis fur.

CLXIII.

Quid brevitas

Brevitas est res ipsius (1) tantummodo verbis necessariis expedita, ut « Christus est conceptus de spiritu sanctu, natus de Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mor-tuus et sepultus ».

CLXIII.

Quid sit demonstratio.

Demonstratio est, cum res ita verbis exprimitur, ut geri negotium et res ante oculos videatur; sicut in passione Chri-sti videtur, ubi omnia que ante rem, et in re, et post rem ac-ciderunt expressissime declarantur.

CLXV.

De sapientia Salomonis.

Vani sunt sensus hominis, et etas senectutis vita in-maculata.

(1) ipsis P. O.

Melior est sapientia quam vires, et vir prudens magis (1) quam fortis.

Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.

Unus introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus.

Sapientia est pretiosior sole, et super omnem stellarum dispositionem luci comparanda (2) invenitur prior.

Thesaurus desiderabilis in ore sapientis quiescit, vir autem stultus deglutit illum.

CLXVI.

De proverbiis Salomonis.

Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit.

Timor Domini principium sapientie.

Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt.

Custodiet dominus rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter.

Ne sis sapiens apud temet ipsum, time Dominum et recede a malo. Quem diligit Dominus corripit et castigat, et quasi pater in filio complacet sibi.

Melior est acquisitio sapientie negotiatione argenti et auri.

Ne dicas amico tuo « vade et revertere et cras dabo tibi », cum statim possis dare.

Ne contendas adversus hominem frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit.

Inlusores Dominus deludet, et mansuetis dabit gratiam.

Oculi tui recta videant, et palpebre tue precedant gressus tuos.

Vade ad formicam, o piger, et considera vias eius, et disce sapientiam; que sine duce parat estate cibum et congregat in quo-messe comedat.

Noli arguere derisorem ne oderit te. Argue sapientem et diligit te.

(1) *Bibl. (Sass. c. 6, v. 1): vir prudens quam fortis.*

(2) *Bibl. (Sass. c. 7, v. 29): comparata.*

Filius sapiens letificat patrem : filius vero stultus est mestitia matris sue.

Qui congregat in messe filius sapiens est, qui autem stertit estate filius confusionis est.

Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.

Odium suscitat rixas, et Universa delicta operit caritas (1).

Abscondunt odium labia mendacia. Qui profert contumelias, insipiens est.

In multiloquio peccatum non deerit: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.

Sicut acetum dentibus et fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum (2).

Ubi fuerit superbia, ibi erit contumelia; ubi fuerit humilitas, ibi sapientia.

Simulator ore decipit amicum suum: iusti autem liberantur scientia.

Qui ambulat fraudulenter revelat arcana: qui autem fidelis est, celat animi (3) comnissum.

Ubi non est gubernator, populus corruet; salus autem ubi multa sunt consilia (4).

Qui conturbat domum suam possidebit ventos, et qui stultus est serviet sapienti.

Melior est pauper et sufficiens sibi quam gloriosus et indigens pane.

Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam, callidus est.

Substantia festinata minuetur; que autem paulatim manu coligitur, multiplicabitur.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum eis efficitur similis.

Qui parcit virgo odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.

(1) R. Caritas operit omnia delicta.

(2) P. add. in via.

(3) B. Bibl. (Prov. 11, 13): *animi amici*.

(4) P... ubi salus autem multa consilia.

Risus dolori miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.

Liberat animas testis fidelis, et profert mendacia versipellis.

Responsio mollis frangit iram (1), sermo durus suscitat furorem.

Lingua sapientum ornat scientiam; os fatuorum ebullit stultitiam.

Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles.

Vir iracundus provocat rixas; qui patiens est mitigat suscitatas.

Melius est parum cum iustitia (2), quam multi fructus cum iniquitate.

Homo perversus (3) suscitat lites (4), et verbosus separat principes.

Melior est bucella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum iurgio (5).

Corona seum filii filiorum, et gloria filiorum patres (6) eorum.

Omni tempore diligit qui amicus est, et semper (7) in angustiis conprobatur.

Animus gaudens etatem floridam facit, spiritus tristis exciccat ossa.

Ira patris est filius stultus, et dolor matris que genuit eum.

Qui prius respondet quam audiat, stultum se demonstrat et confusione dignum.

(1) *Codd.* virum.

(2) *Codd.* letitia.

(3) superbus *P.*

(4) brigas *R.*

(5) Odio *V.*

(6) parentes *P. V.*

(7) *Bibl.* (*Prov.* 17, 7): frater.

Divitie addunt amicos plurimos: a paupere autem et ii quos habuerit separantur.

Multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuentis.

Qui diligit epulas in egestate erit; et qui amat vinum et pingua, non ditabitur.

Melius est nomen bonum quam divitie multe: super argentum et aurum gratia bona.

Nubes et ventus et pluvie non sequentes, vir gloriosus promissa non complens.

Patientia lenietur princepes, et lingua mollis confringet duritiam.

Aqua frigida anime sitienti, et nuntius bonus de terra longinqua.

Flagellum equo et camus asino et virga in dorso imprudentum (1).

Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi efficiaris similis.

Cum defecerint ligna (2) extinguetur ignis; et susurrone subtracto (3) iurgia conquiescent.

Laudet te alienus, et non os tuum: extraneus et non labia tua.

Melior est manifesta correctio, quam amor absconsus (4).

Meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulenta odientis oscula.

Melior est vicinus iuxta, quam frater procul.

Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt et reservat in posterum.

Qui delicate nutrit a pueritia servum suum, postea illum sentiet contumacem.

(1) imprudenti *O. P.*

(2) *P.* defecerit lingua, *O.* defecerint lingue.

(3) susurro subtracto *V.* furrone subtracto *P.*

(4) absconditus *O. P..*

Qui nimium emungit, elicit sanguinem: qui provocat iras, producit discordias (1).

Fallax gratia et vana est puleritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur.

CLXVII.

De libro Ecclesiastes.

Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub celo (2).

Melior est puer pauper et sapiens rege sene et stulto.

Multas curas secuntur somnia, et in multis sermonibus invenitur stultitia.

Multo melius est non vovere, quam post vota promissa non reddere.

Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulacionibus decipi.

Ve tibi, terra cuius rex est puer, et cuius principes mane comedunt (3).

Qui observat ventum non seminat, et qui considerat nubes nunquam metet.

CLXVIII.

De libro Ihesu.

Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos et opprimens subiectos tibi.

Non sit porrecta manus tua ad accipendum, et ad dandum collecta.

(1) *P. add.* falsas.

(2) Nei *Codd. P. O. R.* quest'ultimo detto è posto fra i proverbi.

(3) *P. princeps...* comedit.

Non ventiles te in omnem ventum, et non eas in omni via (1).

Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos.

Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille.

Amicus fidelis protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum.

A iuventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam.

Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius (2).

Non spernas hominem in sua senecta; etenim (3) ex nobis senescunt.

Cum iracundo non facias rixam, et cum audaci non eas in desertum.

Non omni homini cor tuum manifestes, nec cum fatuis consilium habeas.

Ne derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit similis ei.

Noli despicere hominem iustum pauperem, et noli magnificare virum peccatorem divitem.

Non agnoscitur in bonis amicus, et non absconditur in malis inimicus.

Qui tetigerit picem (4) inquinabitur ab ea: et qui communicaverit superbo induet superbiam.

Bona est substantia cui (5) non est peccatum in conscientia, et nequissima paupertas impii.

Ante iudicium para iustitiam tibi, et antequam loquaris discere.

Memento paupertatis tempore abundantie et necessitatem paupertatis in die divitiarum.

(1) *Bibl.* (Ecc. 5, 11): in omnem viam.

(2) *P.* in manus eius iucidas.

(3) et erunt *O.*

(4) *P.* coinquinabitur.

(5) *P.* cum.

Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguunt sensato.

Amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo.

Exenia et dona exceccant oculos iudicium; et quasi mutus in ore avertit correptiones (1).

Melior est qui celat insipientiam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

Mittens lapidem in volatilia deiciet illa; et qui conviciatur amico dissolvit amicitiam.

Vir multum iurans inplebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga.

Tres species odivit anima mea, pauperem superbum, divitem mendacem, et senem fatuum et insensatum.

Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei.

Vasa figuli probat fornax, et homines iustos temptationis tribulationis.

Melior est pauper sanus et fortis viribus, quam dives imbecillis et flagelatus malitia.

CLXIX.

De differentia scripture.

Nota quod prima littera epistole, propria nomina hominum et locorum, et inceptiones clausularum debent scribi littera crossiori; et sic consuetudo longeva servavit.

Item, quia nullus ornate appositeque dictare posset, prout experimento didici manifesto, nisi notitiam habeat per quas dictiones incipere valcant et per quas sua dictamina deheant terminari, de singulis partibus orationis dicamus, et primo de nomine per omnes casus.

(1) correctoris *O.*

CLXX.

De inceptione nominis per omnes casus.

Exemplum: « Petrus lator presentium honorabilis civis noster, nobis conquerendo monstravit ». Genitivus: « Petri querelam recepimus continentem ». Dativus: « Petro conquerenti litteras nostras duximus necessario concedendas ». Accusativus: « Petrum nuper admisimus conquerentem ». Vocativus: « O Petre, tua lamentabili querela coram nobis sepius exponere procurasti ». Ablativus: « Petro cive nostro honorabili ac dilecto intelleximus conquerente ».

CLXXI.

In plurali.

« Frequentate querele nos cogunt iterare mandata ». Genitivus: « Querelarum diversitas nosconstringit modos multipliciter invenire, quibus potentum audacia conpescatur, et debilium innocentia valeat defonsari ». Dativus: « Querelis propositis, aures apostolice dignitatis avertere non possumus nec debemus ». Vocativus: « O querele, quomodo a peccatis hominum pullulatis ». Ablativus: « Querelis auditis et lamentationibus intellectis, quas dilecti filii potestas et populus Imolensis nobis exponere curaverunt ».

CLXXII.

De terminatione nominis per omnes casus.

Item in nomine per omnes casus preter quam in vocativo recte distinctio finietur. Exemplum in nominativo: « Omnia cum discretione fiant, que virtutum dicitur esse mater ». In genitivo: « Coruscat celestibus, qui debilibus et egentibus

sua non claudit viscera pietatis ». In dativo: « Dei cedere debemus consilio, qui cunctis adesse consuevit auxilio vel presidio ». In accusativo: « Ad illum fiducialiter habetur recursus, cuius liberalitas nullam novit repulsam ». In vocativo non utitur. In ablativo: « De vestra tamquam patris et domini confidimus bonitate ». Et sic per plurales casus distinctiones terminare poterimus condecenter.

CLXXIII.

*De principiis a verbo per omnes modos et tempora,
et de participiis, gerundiis et supinis.*

« Amo personam tuam , novit dominus ad salutem (1) ». « Amabam vitam monasticam, quia putabam a vitiis alienam ». « Amavi tuam personam amplius quam deberem ». « Amavoram tuos maiores, et ad te mea dilectio processisset; sed tu amicos antiquos semper odio nequiter habuisti ». « Amabo quicquid video saluti pariter congruere et honori ». « Ama quem noscis amandum, et numquam degeneres a laude priorum ; illos sub benivolentie brachiis retinendo, quos primeve dilectionis sinceritas conligavit vel recommendat ». Amato tu illum quem fidum cognoscis amicum, nec unquam viam antiquam novo tramite debeas desolari ». « Utinam amarem virtutes et transitoria despicerem et caduca! ». « Utinam amavissem illum cuius dulcis est amor, iugum suave et onus leve! ». « Utinam sic amem homines, ut errores eorum non diligam, quia aliud est odisse quod faciunt, aliud ad quod facti sunt ». « Cum amem te, diligere merito me tenoris ». « Cum amem vestrum collegium, me diligere tenemini puro corde, nisi pervetere velletis amorem et in odium commutare ». « Cum amarem vestrum collegium in visceribus caritatis, procuravi diligenter vestra negotia pertractare ». « Cum amaverim semper ea que spectant ad vestrum commodum et honorem, de retributione iustitie mihi tenemini grata vicissitudine respondere ». « Cum amavissem illos qui mihi coniuncti erant sanguine parentele, vestra dilectio mo-

(1) Il luogo deve essere guasto.

lestè non debuit sustinere ». « Cum amavero fidei catholice inimicos, super me tunc veniat indignatio Salvatoris ». « Verum est me amare, amavisse, amatum ire vel amaturum esse dominam mirifice venustatis, ad cuius speciem formosissimam visus clarificatur humanus, iuvenescit sonectus, et animus floridus conservatur ». « Amandi causa venio » vel « habeo voluntatem amandi pretiosissimam omnium dominarum, cuius gratiam desidero super cuncta ». « Ab amando vellem desinere, quia postea meus animus viveret in quiete ». « Amando non lego, quia satis sufficit tantus dolor: nam res est solliciti plena timoris amor ». « Ad amandum Platonem accederem, sed non sine causa desisto, quia suam non possem amicitiam conservare ». « Amatum vado non sponsum corruptibilem, sed celestem, qui mihi dabit castitatis annulum, et armillam pretiosis monilibus exornatam ». « Venio amatum illum cui angeli serviunt, ut quiescere valeam sub desiderabili umbra eiusdem, gustando fructum qui dulcis sit meo gutturi et suavis ». Et sic in passivo incipies, et per omnes modos verborum et tempora distinctiones terminare poteris eleganter.

CLXXIV.

De principiis a participiis per omnes casus.

« Amans vestram personam pro viribus, ad (1) honorem, omni tempore cupio vobis prebere servitia gratiosa ». Genitivus: « Amantis iustitiam persona merito debet amari, quia via regia sic incedit, ut non declinet ad dexteram vel sinistram ». Dativus: « Amanti Deum prospera cuncta erunt, quoniam ei deesse non poterit quicquid boni, qui honorum sequitur largitionem ». Accusativus: « Amantem scelera non amemus, ne nos post facinus coinquinat per consensum ». Vocativus: « O vere amans amicos, tibi servitia non debent aliquatenus denegari, qui semper apparuisti potentibus liberalis ». Ablativus: « Me amante rempublicam, omnia feliciter accesserunt, sed mutata est gratia quia crevit malitia popularis ».

(1) et?

« Ad vos in proximo veniam, Deo dante, amaturus omnia que videro vos amare », vel « facturus omnia que de vestra fuerint voluntate », vel « dicturus que vobis erunt commodo et honori », vel « pariturus vestris litteris et mandatis ». Et eodem modo ad alios casus procedes: et incipere poteris in plurali, distinctiones in omnibus casibus participii terminando, solo vocativo excepto, ut in nomine superius continetur.

CLXXV.

De principiis a pronomine per omnes casus.

« Ego semper fui vester et esse velo cunctis temporibus vite mee ». Genitivus (1): « Mei dignemini recordari, qui semper extiti vestris servitiis mancipatus ». Dativus: « Mihi vestre gratie salutaris grata subsidia porrigitis, qui semper cupio in vestrorum fidelium numero computari ». Accusativus: « Me vestrum clericum et fidelem habere dignemini commendatum, qui sub vestre protectionis umbra semper gestio respirare ». Ablativus: « Me, vestro subdito, recedente, cuncta fuerunt nobis prospера et iocunda ». In plurali: nominativus « Nos, ut devoti filii Sancte Romane ecclesie matris nostre, ipsius adimplere mandata cupimus reverenter ». Genitivus: « Nostri dignemini misereri, qui non iudicium, sed indulgentiam postulamus, illam in vobis esse misericordiam ostendentes quam docetis alias imitari ». Dativus: « Nobis subventionem vestram negatis et subtrahitis gratiam salutarem, illis vestre largitatis munera conferentes qui vobis rebelles et contrarii persistierunt ». Accusativus: « Nos sub umbra alarum vestrarum pie dignemini defensare, ut qui de vestra protectione confidimus, hostilitatis arma nullius pavescere valeamus ». Ablativus: « A nobis in vanum consilia postulatis, cum non secundum ea sed pro vestre volumtatis arbitrio singula terminetis ».

(1) *P. om. genitivus.... dativus... ecc.*

CLXXVI.

De prepositionibus et adverbiiis.

Per prepositiones incipere possumus, tam per illas que accusativo casui serviunt, quam etiam ablativo. Item omnibus adverbii temporalibus in principio utimur, exceptis *ubi* et *tum* quando interrogationem vel admirationem precedunt. Item utimur quantitatibus, qualitatibus, et numerabilibus, et optativo, ut *utinam*. De adverbii autem similitudinariis hec frequentius in principio solent poni « *sic, quamvis, tanquam, quemadmodum* ». De negativis hi duo, *non* et *nunquam*, principia esse possunt. Interiectionibus dolentis, admirantis et gaudentis sepius utimur, et tamen omnes interiectiones principia esse possunt. Item nota quod iste coniunctiones in principio debent proprie poni, causales scilicet, ut « *quoniam, quia, cum, et ideo* », et iste aversative « *quamvis, quamquam, et licet* », ut: « *Quamvis longo tempore tibi serviverim, tu tamen habes me odio* ».

CLXXVII.

Epistola que per venustam varietatem verborum omnem circuit amicitiam.

Ad similitudinem vero quatuor partium mundi, quatuor fiant epistolarum decursus, qui presentantes statum (1) omnium personarum, verborum prestant copiam et ornatum, quarum prima hec est: « Mirabilem vestram gratiam deprecamur: vestram dilectionem deposecimus; vestram liberalem gratiam exoramus; vestram bonitatem multiplicatis precibus flagitamus; vestram circumspectam prudentiam rogitamus; vestre benignitati, probitati, sapientie, caritati, prudentie, discre-

(1) *P.* qui presentes statum.

tioni supplicamus, consulimus, suademus, et amicitiam vestram confortamus et obsecramus; prece supplici, humili et devota, tota cordis affectione (1) et animi puritate, toto affectu hominis utriusque, puro cordis affectu, puritate animi, intentione laudabili, omni affectione qua possumus et desiderio puro cordis »; vel aliter: « Ad vestram gratiam venimus » vel « currimus; vestram subventionem et iuvamen requirimus; vestre persone consilium et auxilium inploramus, petimus, exigimus, postulamus, iteratis precibus et multiplicatis exhortationibus, instanter et instantius; sepe, sepius, avide, avidius, provide; propere, continuo, prepropere, assidue, properanter, festinanter, grataanter, letanter, secure, fiducialiter, confidenter, gaudenter »; vel « animo letabundo, fiduciali » vel « securo, gratanti » vel « confidenti: de cuius bonitate plenam vel securam habeo, teneo » vel « gero fiduciam », vel « de quo indubitanter confido et spero, titubare non valeo, ullo modo » vel « aliqua ratione »; vel « experientia declarante, demonstrante, insinuante, quod consuevit preces supplicantium exaudire; cuius bonitas nulla novit repulsam; cuius liberalitas poscentibus se exhibit gratiosam; qui paratus est semper servire et preces recipere, et effectu prosequente (2) complere; qui gaudet super servitiis amicorum; qui gratulatur in laboribus et exultat in servitiis pro amicis; cui pro multis servitiis iam receptis servire desidero et placere »; vel « quia nobis ostendistis gratiam specialem, vobis gratiam querere minime formidamus, non dubitamus. — « Quare » vel « ideo vos rogamus, quatenus P. latori presentium, nostro nuntio speciali » vel « harum portitori ad hoc serio (*sic*) destinato » vel « P. qui vobis nostras literas presentabit » vel « nostram litterariam descriptionem apportabit » vel « cui literas concessimus » vel « P. ad cuius postulationes vobis mittimus scripta nostra, qui nobis est fidelis amicus, qui in nostra est amicitia copulatus, qui iunctus est in nostrorum numero

(1) *V. O. P. add.* tota cordis.

(2) *P.* et affectu prosequentur.

amicorum, qui nobis est vinculo sincere dilectionis, intime » vel « preclare adstrictus , qu nobis catena pure dilectionis est indissolubiliter colligatus, qui vestre sincere dilectioni colligatur communiter, qui sinceris nostre dilectionis brachiis purissime amplexatur ; in tali facto » vel « negotio , pro quo venit » vel « iter arripuit, suos gressus direxit, accedere festinanter properavit » vel « non tardavit, vestre gratie subsidia porrigatis eidem meis precibus et amore », vel « eidem inpendatis honorem uti videtis expedire », vel « prout vestram decet probitatem, prout iustitia suadebit, in quantum poteritis, vobis honorificentia debita reservata; ita quod vestra prudentia mediante, vestra gratia faciente, prudentia vestra cooperante, potentia, consilio et auxilio suffragante; habere valeat quod intendit, facere possit que optat, reportare valeat pro quo venit » vel « consequi possit que affectat, cupit, gestit, desiderat » vel « suum valeat desiderium adimplere; patrocinantibus meritis bonitatis » vel « probitatis; ita quod meas preces se gaudeat apportasse » ; vel « super his cupimus taliter vos habere, quod nostra precamina sibi sentiat profuisse » vel « vestris teneamur semper servitiis obligatus , adstrictus, mancipatus » vel « vobis ad servitia teneamur » vel « teneamur vobis ad grates, servitia et honores; firmiter attentes, pro certo scientes, veraciter cognoscentes quod quidquid ei feceritis vel duxeritis faciendum , nostre persone reputabimus esse factum » vel « nostram personam spiritualiter et directe prospiciet et non suam » vel « pro tali habebimus, ac si nostre persone specialiter feceritis ; pro quibus vobis obligatus ero ad servitia gratiosa, pro quibus ipse mihi tenebitur et ego vobis ad laudes universas et grates solemnes » vel « ad gratiarum magnas et uberes actiones » vel « ad grates subiectibiles, humiles et devotas »; vel « pro quibus amicabiles duximus grates referendas » vel « gratias agimus cum obsequio perpetue servitutis » vel « pro gratia spirituali quam apud vos meruimus invenire, gratiarum actiones referimus copiosas » vel « pro quibus adstrictus ero ad similia et maiora, et bonitati vestre paratus semper existam grata vicissitudine respondere ».

CLXXVIII.

*Epistola que per ornatum verborum sublimes personas
circuit et nobiles et magnates.*

« Ad hoc dominus vestram imperialem maiestatem preesse voluit super terras, ut universorum iura pie sub vestro munimine conserventur; divina misericordia providit populo christiano, cum vestram personam ad decus et decorum imperii preelegit; ad hoc divina clementia serenitatem vestram orbi preposuit universo, ut per eam imbecilles et dispensatores ministeriorum Dei a pravorum incursibus tueretur » — « Vestra regalis celsitudo succurrat, gloria vestra succurrat, nos magnificentia vestra non deserat; ad vos secure configimus quia dominum alium non habemus, ad illustrem sublimitatem vestram recurrimus ut protectionis subsidia sentiamus, ad spectabilem vestram gratiam nostra gravamina reducimus et querelas » — « cuius fama lucida per mundum resonat universum » vel « quem ubique extollunt sue merita bonitatis » vel « quem illustrat fama et gloria militaris » vel « quem liberalitas dignum honore facit » vel « quem curialitas nominat gloriosum » vel « quem floridum retinent solatia dominarum, quem strenuitas et multa nobilitas reddunt carum (1), laudabilem et famosum »; vel « qui circa consilia prepollet et prudentie magne responsa, qui aurem benignam consuevit subditis commodare, qui non consuevit aures avertere a querelis, qui iustitiam non denegat postulanti, qui omnibus poscentibus audientiam prebet liberam et benignam, qui iustitiam diligit et odit iniquitatem, qui sub speciali protectione consuevit confovere debiles, orphanos et egenos, qui defendit benivolentia paternali pauperes ab oppressionibus tyrannorum, qui porrigit manum lapsis, indigentes confovet, et afflictos mestitia consolatur, qui oppressos relevat et infirmis subsidia elargitur » — « Quapropter » vel « eapropter » vel « unde, imperiali

(1) *P. om. carum.*

maiestati, triumphali vestre glorie invictissime, corone imperialis celsitudinis et decoris, regali celsitudini, altitudini, sublimitati, excellentie et magnitudini; vos sicut fideles subditos et devotos commendamus cum omni promptitudine serviendi »; vel « nos voce, corde et animo commendamus, in omni genere servitutis nos totis affectibus commendamus; a quo post Dominum omnem cognoscimus gratiam et honorem, a quo id quod sumus et erimus cognoscere volumus et debemus, qui iusta poscentibus facilem prestat assensum, qui in se sperantes non eiicit desolatos, qui afflictorum gravamina respicit oculis pietatis, qui preces non differt inpotentium exaudire, in quo post Dominum tota spes nostra consistit, de quo fiduciam gerimus specialem ». — « Sine dubitatione rogamus, humiliter deprecamur, obsecramus; confidenter imploramus; secure, lacrimabiliter exoramus » vel « duximus exorandum, suppliciter rogitandum, propensi et humiliter flagitandum ». — « Ut nobis vestris filiis, nobis viris devotis, et nobis vestris fidelibus aliqua demandetis que adimplere possimus et facere ad vestram gloriam et honorem » vel « ad vestri honoris augmentum »; vel « tales velitis a nostris iniuriis compescere » vel « talibus districte iniungere ut nos de cetero non debeant molestare ». — « Ut omnes, qui sub vestre iurisdictione consistunt, de salubri protectione letentur » vel « sub vestre protectionis umbra possimus, ut cupimus, respirare » vel « umbram sentiamus gratitudinis et quetis », vel « in pace viventes pacis auctorem laudemus, qui per vestram personam consulto nostro profectui pariter et honori ».

CLXXIX.

Ad prelatos verborum diversitas ad copiam et ornatum.

« Beatitudinis » vel « sanctitatis vestre pedibus advolutus indulgentiam postulo de commissis » vel « a clementia vestra in competenti beneficio mihi postulo misericorditer provideri »; vel « benignitati vestre me ipsum commendando, paternitati vestre facio manifestum, vestre dominationi cupio esse notum,

vestre paternitati insinuatione presentium patefiat » vel « vestra dominatio recognoscat, vestram probitatem cupio non latere » — « quod in studio litterarum Bononie persevero Dei vestrique gratia faciente » vel « impendo commendabiliter operam scientie litterali » vel « insisto pro viribus scolasticis disciplinis » vel « labore iugiter ad inveniendum scientie margaritam » vel « ad thesaurum inveniendum » vel « acquirendum qui nullo potest pretio nummario comparari — quod debitum sortietur effectum, quod finem sentiet gloriorum, quod ad laudabilem exitum perducetur » vel « suis non poterit effectibus spoliari » vel « privari effectibus » — « si vestra favorabilis affuerit gratia, sine cuius patrocinio nihil possum; si vester favor adesse ceperit et gratia salutaris; si vestra liberalitas affuerit, que appetit necessitatis tempore liberalis et postulantibus gloriosa; si vestra benignitas inspirante domino, mihi manum porrexerit adiutricem » vel « mihi non denegaverit subsidia opportuna » vel « mihi tanquam suo clero voluerit providere » vel « me suum fidelem et devotum deserere noluerit, quem manus impositione promovit ad ordines clericales » vel « cui deesse non potest sanguine parentale » vel « natura et consuetudine exigente » vel « precipiente divina lege pariter et humana ». — « Cuius rei gratia » vel « cuius rei causa » vel « quapropter, vobis qui mihi estis consilium singulare », vel « vestre persone que multa sapientia et honestate relucet » vel « que mirabilis morum venustate corruscat » vel « que mihi est portus salutis et refugium spirituale » — « precamina porrigo lacrimosa, offero preces votivas, non desino preceps rogaminibus aderere » vel « lacrimabiliter supplicare » vel « affectanter supplico » vel « instanter postulo » — « ut me vestrum habere per omnia dignemini commendatum », vel « me vestris clericis dignemini aggregare », vel « me in vestrorum fidelium numero dignemini computare » vel « providere in aliquo divine pietatis intuitu et amore », vel « mei memoriam habeatis »; vel « me nolit tam subito vestra dominatio a studio revocare » vel « vocare ad propria; sed sic in studio pie subveniat et misericorditer succurat benevolentia paternalis, offi-

cium pastorale, cura et rectoris provisio circumspecta , quod scientie capiam documenta », vel « quod de labore fructum reportem acceptum et manipulos copiosos, pro quibus tam ecclesia quam parentela letetur, et exultare valeant consanguinei et amici ».

CLXXX.

*Ad subditos decora descriptio per ornatum verborum
diversimode variata.*

« Quia iustum est et consentaneum rationi, ut filios circa scientiam laborantes sancta mater Ecclesia et consolari debeat et eis manum porrigere adiutricem, libenter volumus tue devotioni, cum facultas se optulerit, in competenti beneficio providere »; vel « quia de tuo bono studio nuper audivimus » vel « de honestate persone tue et litteratura sufficienti nova perceperimus gratiosa », vel « quia bonis moribus diceris adornatus et insistis laudabiliter scientie capessende — tibi tale beneficium assignamus et in signum benevolentie ac dilectionis concedimus », vel « tue dilectioni in tanto beneficio providerimus, quod in scolis recipies annuatim, et erga devotionem tuam nostre benedictionis manus ad abundatiorem subventionem largifluas extendemus, si bono principio finem feceris respondere » vel « si ad meliora, divina potentia suffragante, tue processerint merita bonitatis », vel — « quia dignum est ut male meriti gravi pereant egestate », vel « quia labiis dolosis et lingua serpentina voluisti nos draconis dentibus lacerare, non attendens quod vulnus lingue consolidari non potest, quia facillime dilabitur in mendacium ex quo conscientia est corrupta , ideo nec ad tuam subiectionem intendimus, nec tue miserie condolemus ; quia cura nos cogit officii pastoralis ut subditorum excessus animadversione debita puniamus ; ad nostrum spectat officium subditorum vitam et mores in melius reformare » vel « sic corrigere delinquentes, quod unius pena centum expavescant »; vel « quia sanguis subditorum de manu prelati a Domino requiretur, expedit ut

pena debita feriat delinquentes », vel « ne trahamus maculam ex criminibus alienis, virga correctionis et non osculo deceptionis punire volumus transgressores; ne via delinquendi aliis pateat per exemplum, commissum delictum pena debita castigetur, quia dignum est ut quos Dei timor a malo non revocat saltem coercent rigor ecclesiastice discipline; quia bonis bonitas non prodesset, si malis malitia non obesset; quia secundum legem defendi non debet qui committit in legem; quia in una eademque persona et vitia odire debemus et virtutes amare; reprehendere ergo te possumus et damnare » vel « reprehensioni subiaces vehementi » vel « culpa te reprehensibilem exhibit et facti qualitas te incusat; quia sine nostra licentia et mandato » vel « nostra licentia non habita nec petita, te trastulisti ad studia litterarum » vel « desolata ecclesia et servitio Ihesu Christi condiscere conaris scientias luterativas », vel « dimisso habitu et monastica disciplina vagus et perfugis discurris per civitates et terras », vel « abiecta regula et obedientia pretermissa non sine proprie salutis dispendio tanquam laicus evagaris ». — « Quare tibi precipimus et mandamus » vel « mandando precipimus » vel « precipiendo mandamus » vel « tibi damus litteris presentibus in mandatis » vel « tibi sub districione qua possumus mandamus firmiter iniungendo » — « quatenus omni mora et occasione remota » vel « postposita, revertaris » vel « desolatam ecclesiam repetas festinanter », vel « reassumas habitum iam dimissum », vel « ad tuam conscientiam revertaris », vel « tue saluti consulas et honori », vel « preterita satisfactione sequenti satagas expurgare » vel « ad cor redeas et viam repeatas veritatis ». — « Alioquin » vel « aliter » vel « que si non feceris » vel « facere curaveris » vel « non studueris adimplere; in te dictabimus » vel « faciemus » vel « pronuntiabitimus excommunicationis sententiam, iustitia exigente » vel « tuum beneficium alii conferemus » vel « alii curabimus assignare, sicut postulat ordo iuris; nolentes tuam absentiam amplius expectare » vel « hoc diutius tolerare propter scandalum plurimorum » vel « propter peccatorum molem » vel « ne perniciosum exemplum in posterum generetur.

CLXXXI.

De privilegiis.

Privilegium dicitur quasi ius privatum, vel lex privata et propria et specialis a iure communi. Indulgentia vero a privilegio differt, quia cum ea solemnitate fieri non habet, sed per quandam favorabilem gratiam alicui persone specialiter indulgetur. Privilegiorum autem hec sunt partes: titulus, exordium, concessio generalis, finalis corroboratio, et signorum subscriptio. Titulus est personarum distinctiva premissio sine optatione salutis. Et nota, quod in clericis persona concedentis et recipientis in titulo ponitur, in laicis vero sola concedentis persona (1) in titulo prenotatur; et nota quod in privilegiis, sicut in salutationibus, verbum non ponitur et intelligitur *concedit, indulget* vel aliud simile. Item nota quod privilegium in tertia fit persona, et assignato nomine dignitatis, premititus nomen concedentis persone; quia dignius est dare quam accipere, et datur privilegium a sublimibus personis et a maioriibus in subditos super iure quo sibi tenentur. Et debet talis titulus apicibus eminentibus scribi propter maiorem privilegii auctoritatem; et de successoribus fit mentio, ut non solum presentes, sed futuros valeat roborare, et duret in perpetuum ad ostendendum quod ecclesiastica concessio perpetua esse debet. Exemplum: « Gregorius servus servorum Dei dilecto filio Federico Romanorum imperatori et semper augusto, eiusque successoribus omnibus in perpetuum »; et sic recipientem vocabit, vel « venerabilem fratrem » vel « dilectos filios » sive « filias », ut superius in salutationibus est distinctum, « tam presentibus quam futuris, canonicam vitam professis » vel « canonice substituendis » vel « regularem vitam professis in perpetuum ». Alii prelati eodem modo privilegia concedunt, subditos fratres vel filios nominando, ut super in salutationibus edocetur: hoc solo excepto, quod proponunt signaculum sancte crucis, post quam dicunt: « Sancti spiritus adsit nobis gratia » vel « In nomine domini amen » vel « In nomine

(1) *R. tempora.*

sancte et individue Trinitatis amen. Dei gratia Ravennatis ecclesie archiepiscopus venerabili fratri Imolensi episcopo eiusque successoribus canonice substituendis in perpetuum », Et nota quod non dicitur « in perpetuum » quando privilegium conceditur laicis; quod ideo contingit, quia laicorum iura non sunt perpetua, sed transitoria dignoscuntur. Et tunc absque ulla cruce vel invocatione dominica principes seculares titulum suum ponunt, ut « F. Dei gratia romanorum imperator et semper augustus », et non ponitur ibi nomen recipientis, ut dictum est, nec « in perpetuum » ad denotandum quod ius imperii non est perpetuum, sed temporale. Si autem huiusmodi seculares privilegium religiosis concedant, ut dictum est, crux punctata precedit cum invocatione dominica, et extra cartam, scilicet in dorso, notarii curie signum sue manus apponunt, sic dicendo: « In nomine Domini amen. F. Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus ». Postmodum in ecclesiasticis sic expedit exordiri: « Cum universorum iura ex iniuncto a Deo nobis officio roborare munimentis apostolicis teneamur, pro illorum quiete oportet nos sollicitos esse, et eorum petitiones maiori providentia exaudire, qui necessitatis tempore sunt officio et nomine principes (1), et pastorali prediti dignitate » vel: « Quotiens nobis petitiones porrigitur a radice iustitie procedentes, ex iniuncto (2) administrationis officio ipsas facile admittere debemus, quia non debet dilationibus aliquibus fatigari qui iustum petit pariter et honestum » vel: (3) « Cum imperiale debeat maiestatem universorum iura conservare illesa, nos, qui divina favente clementia Romanorum imperio presidemus, sic iustis precibus condescendere volumus et singulis providere, quod tam ecclesiastice persone quam otiam seculares contente maneant suo iure »; vel: « Sacrosanctum hospitale Iherosolimitanum et eiusdem hospitalarios summa nos oportet dilectione diligere, ipsorumque iura nostris privilegiis et protectionibus taliter premunire, ut

(1) *R. V. O.* participes.

(2) *P. R.* iniuncte.

(3) *Codd. omm.* vel.

cum ante tribunal superni iudicis fuerimus constituti, gloriemur nos honorasse locum, in quo corpus dominicum requievit »; vel « Cum de imperiali procedat benevolentie largitate universos regulares viros et Deo servientes suo sollicite communire presidio, fratres Templi, qui spreta seculari militia facti sunt milites Ihesu Christi, et sub Domini vexillo regula militantes pro Redemptoris amore se morti pugnando cum barbaris nationibus tradere non formidant, tanto attenuus debet in omnibus confovere, quanto gloriosius pro Christi nominis defensione noseuntur in castris dominicis militare »; (vel) « Cum imperialis dignitas omnium religionum genera sub umbra sue protectionis manu tenere debeat et defendere, dicatas Deo virgines, que spretis maritalibus connubiis sponsum Ihesum Christum accensis lampadibus nunc secuntur, tanto propensius nostro debemus communire presidio, quanto magis eorum condicio et sexus femineus noscitur indigero ». *Explicit de privilegiis* (1).

Epistola finalis laudis et commendationis.

A Domino factum est istud, cuius gratia sumus et vivimus et movemur, et ad honorem et gloriam atque laudem viri magnifici ac feliciter triumphantis domini Alliprandi Fave, Bononiae potestatis; cuius preconia mirifice probitatis nec silere possum, nec stilos invenitur sufficiens ad narrandum (2), quoniam de ipso iam loquitur omnis terra, et omnes gentes, nationes et populi magnificent sua gesta, tanquam militis strenuissimi et preclari, cuius fama lucidissima militarem gloriam decorat et totam illuminat parentelam. O Brixia, terra nobilis, nunc gaude beata que tantum lilyum protulisti; sed et novis tripludiis glorietur Italia universa, et precipue felix exultet Bononia, que, tali sublimata rectore, victoriosa residet et tranquilla; que suis meritis ut stella rutilans matutina, regalia

(1) In P. manca, *Explicit de privilegiis e tutta l'Epistola finale.*

(2) dicendum O.

promeruit habere insignia , et imperiali diademate coronari. Accipe nunc presentem libellum, egregia potestas, laudabili manu dextera, quem magister Guido fidelissimus clericus et devotus ad decus et decorum tui fidelissimi nominis, utiliter compilavit. Collige (1) nunc flores rethoricos et hec pretiosa nunquam tradas (2) invidis ornamenta , per que tam pressens quam ventura posteritas tui (3) geret memoriam gloriosam a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum (4).

CODICI ADOPERATI PER LA EDIZIONE.

R. — Ms. 1222 della biblioteca Riccardiana.

O. — Ms. ottoboniano n. 125 della biblioteca Vaticana, f.

P. — Ms. palatino n. 1611 della biblioteca Vaticana.

V. — Ms. n. 5107 della biblioteca Vaticana, fondo vaticano.

AUGUSTO GAUDENZI

(1) colligit *O. P. R.*

(2) tradatis *O. P. R.*

(3) vestri *O. P. R.*

(4) *V. O. terre.*